

115
Eſtoreos Theologicae

Disputatio II.

opposita
Abominationi Pontificiae in Articulo

De

ECCLLESIA.

*Continens partem priorem, i. e. doctrinam de naturâ
& definitione Ecclesiae, ejusdemq. capite, & regiminis formâ*

In Collegio Privato.

CHRISTO Servatore docente

& adjuvante

Ad examinandum

proposita

In Academia Lipsiensi

die 30^a Januar. Anno

M. DC. XIX.

Præside

M. THOMA WEINRICHIO,

SS. Theol, Baccal. Diac. ad D. Nicol. ibid.

Respondente

M. CASPARO LUNITIO, SS. Theol, Studioſo,

Lipsiæ,

Excudebat FRIDERICUS LANGKISCH.



VIRO

Admodum Reverendo Nobilissimo & Magnifico

Dn. MATTHIÆ HOE ab Hoë-

**negg, S S. Theol. Doctori, Serenissimo Electori
Saxoni à concionibus Primariis & Consiliis
Ecclesiasticis &c.**

Nec non

Reverendo & Amplissimo Viro

Dn. VINCENTIO Schmuck, S S.

**Theol. Doctori ac P. P. in Academia Lipsiensi, Ec-
clesiæ ibidem Superintendenti, Consistorii Elect. Assessori,
Collegii Majoris Principum Collegæ, Facult. Theol.
Seniori & Canonico Misnensi.**

ut &

Clarissimo ac Præstantissimo

Dn. M. BALTHASARI Mavio,

**Supremi Dicasterii Electoralis Lipsiæ Proto-
notario dignissimo.**


*Dominis, Patronis, Mecœnatibus ac Fautoribus suis
aternum honorandis*

Thema hoc Theologicum

humiliter offert

M. Caspar Lunitius

RESPONDENS.



ΣΤ'Ν ΘΕΩ.

Ἐξέτασις ἐλεγκτικὴ

ABOMINATIONIS PONTIFICIÆ,

In Articulo

DE ECCLESIA.

THESIS I.



Uperâ disputatione contra abominaciones Pontificias, in articulo de Sacra Scripturâ, ejusdemq; autoritate, Canone, perspicuitate, interpretatione, perfectione, lectione & consimilibus quaestionibus aliis, placidam σὺν θεῷ instituiamus προδιαλέξιν, eamq; quasi προομιαικὴν sive præliminarem: consequens jam est,

ut reliquorum etiam præcipuorum articulorum ἀγασκεψιν aggrediamur. Ubi non immeritò primo loco sese offert, insignis ille articulus, De catholicâ CHRISTI in hisce terris Ecclesiâ.

2. Etenim, si ullum est argumentum aliud, in quo conjurata illa factio servorum Antichristi Romani, deploratæ suæ causæ præsidium ponit, certè hic est articulus de Ecclesiâ. Quemadmodum enim, teste Laëtantio, l. 4. instit. c. ult. nullius rei apud quosvis populos frequentior fuit gloriatio quàm Ecclesiæ, usq; adeò, ut singuli Hæreticorum cætus suam Ecclesiam catholicam esse contenderint: ita Romanenses quoq; hunc vel unicum articulum sibi delegerunt, ut sub augustissimo Ecclesiæ titulo crassissimorum errorum suorum sibi patrociniū quærere possint.

3. Postquam enim à Scripturæ præsidio deturbati, ad salvandas superstitionum suarum, & errorum mendacissimorum abominaciones, vel cassâ nuce inaniore sese esse experiuntur, ad Ecclesiæ autoritatem confugiunt, quam & Scripturæ autoritate longè priorem & digniorem esse, impio atq; blasphemio ore vociferantur.

4. Si verò quæras, quænam illa Ecclesia sit? Protinus illam affingunt, ad cathedram Rom. Pontificis, qui illi ut Pastor sive Episcopus, & quidem Oecumenicus præsit, eamq; pensitant ab imaginariâ prærogativâ Romanæ olim Ecclesiæ, à multitudinae suffragantium populorum atq; gentium, ab amplitudine regionum, & assensu tot Monarcharum, tot Regum & Principum hujus mundi, ex loci (quam ordinariam esse ad ravim & rabiem usq; contendunt) successione &c.

5. Saltem ut vanâ hâc & inani gloriatione, verâ atq; orthodoxâ, Catholicâ, quæ apud nos est, Ecclesiâ, apud imperitos suspectâ & exosâ redditâ, si non verè (uti certè verè nunquam poterunt) at veri-similiter probatum reddant, & persuadeant simplicioribus, veram & Catholicam Ecclesiam non esse aliam, quàm Ecclesiam Romanam, & quidem in eo, quo hodiè constituta est, corruptissimo deploratissimoq; statu consideratam.



6. Cui assertioni postea adjunguntur pronunciatum alterum, quo Ecclesiam in doctrinâ fidei errare non posse comminiscuntur, ut ita adamatum suum thêma, Ecclesiam scil. Romanam, superioribus seculis in Religionis causa, neq; errasse unquam, neq; errare potuisse, eò faciliùs obtineant.

7. Astuto sanè consilio. Hoc namq; fundamento jactò nemo non videt, nullum errorem unquam in Papatu traditum fuisse tam pudendum; nullam hæresim inculcatam tam crassam, nullam idolomaniam exortam fuisse tam tetram, tamq; detestabilem, cujus flagitiosa fœditas, & prodigiosa futilitas hoc operculo non tegi, & pulcrè excusari potuerit, & adhuc possit, si nimirum hæc regnet in hominum animis opinio, ideò corruptelas Pontificias pro erroribus non habendas, quod ita olim senserit, & docuerit Pontificiorum Synagoga Romana.

8. Quamobrem, cum in hoc commento Papicolæ, & in primis ij, qui sunt ex ordine JESU sub societatis nomine adversantium, suum omne præsidium perfugiumq; collocent, operæ dispendium non facturos nos esse arbitramur, si veritatis asserendæ studio Articulum hunc paulò accuratiùs ad trutinam verbi divini examinaverimus, & quàm vana & frivola sit hæc superbientis meretricis Babylonice fervorum jactantia, hæc *συστησις* indice tantum digito monstraverimus.

9. Quamvis enim permulta sint, de quibus inter nos & Jesuitas circa hanc materiam controvertitur, quæ etiam Bellarminus Jesuita Cardinalis, qui reliquorum *συναγωγιστῶν* antesignanus & Triarius quasi hodiè agnoscitur & celebratur, integris duobus libris satis prolixè complexus est, partiemur tamen totam hanc disputationem quæstionum multitudine & nobilitate aliàs amplissimam, in septem tantùm capita sive quæstiones, quibus etiam universam Idolomaniam Pontificiam (quam in hoc quidem doctrinæ Christianæ fovent articulo) commodissimè comprehendi posse, habemus persuasissimum.

10. I. Caput erit De naturâ, essentiâ, & attributis Ecclesiæ, *quid propriè sit Ecclesia, & quo sensu perhibeatur, una, Sancta Catholica & Apostolica.*

II. De vero Ecclesiæ capite. *An CHRISTUS solus sit caput Ecclesiæ? an verò Ecclesia Catholica fundata sit super personam Petri, & hujus in sede successores, Pontifices Romanos, qui caput & fundamentum Ecclesiæ dici & haberi debeant?*

III. De optimâ regiminis Ecclesiastici formâ. *An salus Ecclesiæ requirat, ut præter summum illud ac universale caput Ecclesiæ CHRISTUM JESUM aliis in super generalis ac visibilis Ecclesiæ Episcopus præfici debeat, qui tanquam Monarcha omnibus præsit, & absolutam habeat potestatem & jurisdictionem super omnes, adeò ut à nemine judicari debeat?*

IV. De Ecclesiæ in visibilem & invisibilem distinctione? *An verè Ecclesia in visibilem & invisibilem distinguatur? an verò Ecclesia Catholica simpliciter sit visibilis, imò corpus visibile, licet partes ejus non sint in uno loco congregata?*

V. *An Ecclesia possit errare? an verò Ecclesia Catholica (quam Romanam esse volunt Jesuitæ) usq; adeò sancta sit, ut neq; in suo consortio visibili & externa conversatione habeat Hæreticos, neq; in fide errare possit?*

VI. De notis Ecclesiæ veris, propriis, genuinis, certis & infallibilibus. *An præter duo illa signa *ἰσχυρῶν*, quæ à Lutheranis constituuntur, puram videlicet verbi prædicationem, & legitimum Sacramentorum usum, quindecim alia constituenda sint, nimirum 1. ipsum Catholica Ecclesiæ nomen, 2. antiquitas, 3. duratio nunquam*

quam interrupta, 4. amplitudo, 5. successio Episcoporum in Romanâ Ecclesiâ ab Apostolis ad nostra usq; tempora deductâ. 6. conspiratio in doctrinâ cum Ecclesiâ antiqua, 7. unio membrorum inter se & cum capite, 8. sanctitas doctrina, 9. efficacia ejusdem, 10. sanctitas vitæ autorum sive primorum patrum Pontificia Religionis, 11. gloria miraculorum, 12. lumen Propheticum, 13. confessio adversariorum. 14. infelix exitus eorum, qui Ecclesiam oppugnant, 15. felicitas temporalis.

VII. De Apostasiâ Ecclesiæ. An Ecclesia possit deficere? & Num Lutherana Ecclesia verè defecerit? siquidem ex opinione Jesuitarum ante LUTHERI tempora nussiam extiterit talis Ecclesia, quæ in doctrinâ cum Lutherana conferri possit: An verò potius Ecclesia Romanopapistica, (quæ sola quidem se veram illam Catholicam Ecclesiam, Magistram & dominam omnium particularium falsò jactitat) insignia ἀποστασίας rea sit, adeoq; pro Apostaticâ Ecclesiâ omni jure à quovis haberi & perhiberi debeat?

In hisce septem abominationum monstris, cum omnia momenta & puncta controversiæ inter nos & Papicolas de Ecclesiâ consistant, meritò ad eorum διεξοδον accessum facimus.

CAPUT PRIMUM.

De naturâ, essentiâ, & attributis Ecclesiæ essentialibus.

Q. Quid sit Ecclesia, & quo sensu perhibeatur una Sancta Catholica & Apostolica?

11. Galenus autor gravissimus inquit: Sine nominis explicatione velle rem cognoscere est tempus perdere. Hoc igitur, ne nobis quoq; eveniat, in hac disputatione de Ecclesiâ, ab ipsa vocis origine exordiri curæ prærium existimamus. Quamvis enim in tractatione simplicis alicujus termini minimè jam versemur, utpote hac vice propriè & primariò non disputantes de Ecclesiâ, ratione suæ Essentiæ, & constitutionis: Sed potius occupati simus in tractatione thematis sive quæstionis conjunctæ, i. e. in refutatione, abominationum præcipuarum, quibus gens Pontificia augustissimum de Ecclesiâ articulum nefariè corrumpit; ne tamen vocis ambiguitas alicui imponere possit, visum fuit propter insignem adversariorum sophisticationem, præsentem disquisitionem ab ipso Ecclesiæ nomine primo hoc capite ordiri, ejusq; ante omnia tum Etymologiam tum homonymiam, tum distinctiones præcipuas, quæ quidem in sacris literis & in communi usu occurrunt, tum ipsam rei definitionem accuratiorem præmittere.

12. Dicitur ergò Ecclesia ἡ ἐκκλησία τῶν ἐκ τὸ ἐκκαλεῖν, h. e. ab evocando, quasi evocatio, & significat tum separationem vi particulæ ἐκ, tum collectionem sive congregationem ratione vocationis. Licet ergò scriptor quidam Sacramentarius derivationem hanc tanquam minus idoneam improbet, propterea, quod quasi cœtus dicatur extra DEUM vocatus, quia tamen inter nos & Pontificios hac de re nullum est certamen, suo id ipsum Bellarmino ipso l. 3. de Eccles. milit. c. 1. approbante calculo, meritò hanc vocis Etymologiam retinemus.

13. Separationem Ecclesiam vocantes, ratione termini à quo, videlicet ex colluvie generis humani & peccatorum, collectionem verò ratione termini ad quem, videlicet ad DEUM, ad cujus regnum ex mundo 1. Joh. 2. v. 16. & ex tenebris 1.



Petr. 2. v. 9. evocantur. Quo sensu etiam ab Hæbræis Cahal à congregando nomen obtinuit, & Edah, quod propriè hominum per indictionem publicâ autoritate & ritu solenni factam congregationem de notat.

14. Præter vocem ἐκκλησίας autem in V. T. septuaginta interpretes sæpissimè usi sunt voce συναγωγῆς, quæ vox generatim accepta quamcumq; tum hominum, tum aliarum rerum, quemcumq; in finem congregationem designat, uti videre est Genes. 1. v. 9. ubi aquæ dicuntur congregari in unam συναγωγὴν, Esa. 19. v. 16. Jerem. 44. v. 15. Ezech. 34. v. 4. 7. 13. ubi συναγωγὴ μεγάλη de exercitu dicitur. *Specialim* verò sumta notat congregationem populi Judaici, propter Religionem Exod. 16. v. 3. Levit. 4. v. 13. quo sensu etiam Evangelistæ & Apostoli vocem istam in scriptis suis retinuerunt Matth. 4. v. 23. Marc. 1. v. 23. Luc. 6. v. 6. c. 7. v. 5. Joh. 16. v. 20. Act. 13. v. 5. c. 15. v. 21. & passim alibi.

15. Et quamvis hæ duæ voces ἐκκλησία & συναγωγή promiscuè usurpari, adeoq; unam eandemq; significationem obtinere videantur, siquidem populo V. T. & ἐκκλησίας & συναγωγῆς nomen tribuitur: attamen Synagogæ vox rarè aut nusquam ferè præter unicum locum Jac. 2. v. 2. de populo N. T. ab Apostolis usurpata legitur.

16. Quod tamen non ita ἀπλῶς accipiendum est, ac si simpliciter statueremus cum Bellarmino d. l. populum V. T. propriè dici Synagogam, i. e. congregationem, populum N. T. nusquam dici Synagogam, sed semper Ecclesiam, i. e. convectionem, siquidem congregari commune sit hominibus cum bestiis, at evocari propriè hominum.

17. Manifestam enim ψευδολογίαν à Bellarmino committi, tum 1. ex loco allegato Jac. 2. v. 2. manifestum est. Ibi enim disertis verbis συναγωγῆ de congregatione Christianorum usurpatur, quemadmodum etiam Ebr. 10. v. 25. ἐπισυναγωγῆς appellatio Ecclesiæ tribuitur, quæ ratio deducta videtur ex dicto Salvatoris Matth. 23. v. 37. Quoties volui ἐπισυναγωγῆν filios tuos, & 2. Thess. 2. v. 1. ubi de universali piorum congregatione in die futuri judicij extremi usurpatur: tum 2. etiam ex conjugatis συναγωγῆς, quæ passim de populo Christiano in Sacris leguntur, utpote Matth. 13. v. 2. c. 18. v. 20. Joh. 11. v. 52. c. 20. v. 1. Act. 4. v. 31. c. 15. v. 6. c. 20. v. 7. & quæ sunt hujus generis loca alià quàm plurima, ubi homines συνηγμένοι congregati esse perhibentur, & ita discrimen hoc Jesuiticum inter congregari & evocari, quod illud commune sit hominibus cum bestiis, hoc verò hominum proprium solidissimè convellunt, & prorsus evertunt.

18. Si enim congregari idem est, quod bestiarum more aggregari, ubiq; 1. Apostolos bestiarum more congregatos fuisse necessum est Act. 20. v. 1. quod sanè ἀθεόλογον & impium est statuere. 2. Patres ipsi Conciliabuli Tridentini, dum sess. 9. 10. conventum suum congregationem nuncupant, eo ipso pecudum more congregatos fuisse fatebuntur, quod ridiculum erit asserere, ipsis etiam adversariis fatentibus. 3. Si congregari propriè pecudum est, vocari verò hominum, utiq; & oves propriè erunt homines, quandoquidem de iis Scriptum extat Joh. 10. v. 3. quod pastor bonus eas καλῆ κατ' ὄνομα.

19. Augustini autoritatem ex Psalmo 81. quod attinet, quæ Bellarminus distin-

distinctionem hanc palliare conatur, tenendum est, Augustinum non simpliciter lo-
 qui, sed certo & limitato respectu, quemadmodum ipse sese explicat, in Enarr.
 tione Psal. 77. ubi ἐπαινοῦσθε quadam additâ fatetur, inquiens: Quanquam
 dicatur, propriè Synagoga Judæorum, Ecclesia verò Christianorum, quia congrega-
 tio magis pecorum (quorum greges propriè dicimus) convocatio hominum
 magis intelligi solet, tamen & illam dictâ invenimus Ecclesiâ, & nobis fortasse potius
 convenit dicere, Salva nos DOMINE DEUS noster, & congrega nos de Gentibus.

20. Sensus igitur Augustini, & cum ipso nostrarum quoq; Ecclesiarum ortho-
 doxarum is est, quod vocabulum ἐκκλησίας, si propriissima ejus spectetur signifi-
 catio, majorem in se habeat Emphasis, quàm συναγωγῆς.

21. Distinguit enim 1. cœtum Christianorum, tum ab aliis qualibuscunq; colle-
 ctionibus, tum imprimis à congregationibus Judæorum, Postquam enim illi ex ob-
 stinatâ quadam malitiâ CHRISTO ejusq; verbo reluctarentur, ac Synagogæ nomen
 sibi quasi proprium & peculiare vendicarent, visum fuit Spiritui S. & Apostolis,
 Ecclesiæ nomen tribuere Christianorum N. T. populo. 2. Ostendit regnum
 CHRISTI non angusti Judææ limitibus inclusum iri, sicut olim in V. T.
 unicus saltem fuit populus, cujus Synagogæ omnes aggregari oportuit quotquot æ-
 ternæ salutis cupidi DEO & Ecclesiæ inseri voluerunt: sed hoc regnum ex omni-
 bus omnium linguarum ac nationum populis constituendum esse. 3. Complecti-
 tur simul vocationem, à quâ constitutionis istius regni CHRISTI fit initium.
 4. Præter vocationem notat etiam segregationem à mundo, siquidem illi, qui voce
 Evangelij ad regnum CHRISTI vocantur, hoc ipso à mundo segregantur, ut im-
 pietate relicta sese dedant in CHRISTI & fidei obsequium. 5. Admonet nos de
 immensâ DEI erga nos bonitate & misericordiâ, quod nullis nostris meritis in-
 tercedentibus, ex merâ gratiâ per prædicationem verbi, ex damnato genere huma-
 no nos vocet ad consortium Ecclesiæ, in quâ veluti arca Noë à diluvio iræ divinæ
 conservamur, haud aliter, ac quidam è domo, vel mox collapsurâ, vel incendio pe-
 riturâ, ne unâ cum reliquis pereant, evocantur. Et hæc quoq; sunt causæ præci-
 pue, cur Evangelistæ & Apostoli de Ecclesiâ N. T. loquentes semper & ubivis fer-
 mè Ecclesiæ nomen retinere & usurpare voluerint.

22. Porro, cum vocis hujus multiplex sit acceptio, præmissâ nominis Etymo-
 logiâ in articulo hoc pertractando excutiendæ quoq; veniunt variæ distinctiones,
 quæ in sacris præcipuè literis passim de hæc materiâ occurrunt.

23. Et primò quidem *generatim* sumitur pro quovis cœtu, sive concione homi-
 num, ad audiendum aliquid congregatorum, quemadmodum apud Athenienses
 cœtus civium voce præconis è reliquâ turbâ quasi nominatim evocatus, ad audien-
 dam senatus sententiam, fuit insignitus, quo pertinent etiam illa Scripturæ dicta
 Ezech. 32. v. 3. Act. 19. v. 32. 39. 40.

24. Deindè *speciatim* sumitur, pro cœtu sive concione hominum Religionis
 gratia convocatorum, idq; voce Evangelij, sive prædicatione verbi & usu Sacra-
 mentorum, quo sensu rursus accipitur, vel *exquisite propriè* & principaliter de cœtu
 electorum, vel *populariter* & *Synechdochicè* de cœtu vocatorum.

25. *Exquisite* propriè & principaliter dicta Ecclesia iterum vel est sub vexillo
 crucis CHRISTI adversus peccatum, carnem, mundum & Satanam in terris *mi-*
 litans I. Cor. II. v. 16. vel peccato, carne, mundo & Satanâ devictis cum CHRISTO
 in cœlis *triumphans*.

26. Priors

26. *Priore sensu* rursus Ecclesia militans sumitur, vel ὀλικῶς *universaliter*, vel κατὰ μέρος *particulariter*. *Universaliter* quidem, pro universo fidelium & sanctorum corpore, qui ab origine mundi usq; ad illius finem, ex omnibus populis, gentibus ac linguis à Spiritu S. per verbum & Sacramenta colliguntur, regenerantur & sanctificantur. ut Matth. 16. v. 13. Eph. 5. v. 32. 1. Tim. 3. v. 15. *Particulariter* verò sumitur pro fidelibus in certo ac determinato aliquo militantis Ecclesie loco & tempore congregatis: atq; ita particularis est & dicitur vel *temporis* vel *loci* ratione.

27. *Temporis ratione* particularis Ecclesia, est vel V. T. Num. 20. v. 4. Deut. 32. v. 1. Act. 7. v. 38. ubi homines crediderunt in Messiam promissum & venturum, vel est N. T. eorum scil. qui credunt etiamnum in CHRISTUM datum in carne & exhibitum Act. 5. v. 11. c. 8. v. 1. Estq; iterum vel *primitiva* ab ipsis Apostolis & eorum discipulis plantata. vel *successiva*, quæ scil. illi primitivæ successit.

28. *Loci* verò ratione, alia Ecclesia est *Magna* sive frequens, quæ in aliquâ natione, vel provinciâ, vel civitate DEO colligitur, quemadmodum mentio fit Ecclesie Asiae 1. Cor. 16. v. 19. Ecclesie Macedoniae 2. Cor. 8. v. 1. Galatie Gal. 1. v. 2. &c. Et nostro tempore sunt, Lipsiensis, VVitebergensis, Argentoratensis, & aliæ complures per orbem dispersæ: alia *parva* sive exigua, juxta illud Matth. 18. v. 20. ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi erit Ecclesia. Unde etiam Scriptura meminit aliquot Ecclesiarum domesticarum, quales fuere Aquilæ & Priscillæ Rom. 16. v. 5. 1. Cor. 16. v. 19.

29. *Populariter* & *Synecdochicè* sumitur Ecclesia 1. vel *pro toto cœtu vocatorum*, in quo sunt & sancti & non sancti. Uti enim in corpore humano non solum vivida membra sunt, sed multi etiam humores excrementitii: ita etiam cœtui sanctorum & electorum, ceu veris & vividis Ecclesie membris admixti sunt in hac vitâ, multi non sancti & hypocritæ, qui licet ratione externæ societatis. quatenus in professione fidei & usu Sacramentorum consentiunt, Ecclesie sint conjuncti: attamen cum interiori renovatione & illuminatione S. S. destituantur, minus propriè Ecclesie nomen ipsis competit. Unde etiam ex hoc, quod oculis humanis non sit obvium, quinam sint illi verè credentes, distinctio nata est, inter Ecclesiam visibilem & invisibilem. de quâ *distinctione* quid statuendum sit, suo dicetur loco.

30. Vel 2. sumitur *pro parte* illius cœtus vocatorum, adeoq; vel 1. *pro populo* sive grege præpositis commendato. ut Act. 20. v. 28. 1. Petr. 5. v. 2. vel 2. *pro presbyterio*, uti Paulus vocat 1. Tim. 4. v. 14. i. e. pro ipsis Ecclesie præpositis & doctoribus, qui plerumq; Ecclesie nomine tractant ea, quæ ad ipsam spectant, sic enim v. g. Ecclesia dicitur constituere & ordinare ministros verbi, dum interim Presbyteriū nomine Ecclesie eos constituit & ordinat, & hoc sensu à Chrysostomo & aliis explicatur dictum Salvatoris Matth. 18. v. 17. Dic Ecclesie, &c. de ministris verbi & aliis senioribus Ecclesiasticis, quibus præcipua Ecclesie cura demandata est: Verùm nos propter adversariorum sophisticaciones illud exponendum censemus, de toto cœtu, cui debet indicari, quemadmodum Paulus 1. Tim. 5. v. 20. severissimè mandat, ut peccatores arguantur publicè coram omnibus, ut cæteri audiant & vereantur.

31. His distinctionibus ita præmissis ultrò concedit 1. *abusivâ* vocis Ecclesie acceptatio, dum Romanenses non nisi per insignem & Scripturis planè ignotam

ἀκυρολογία.

ἁκυρολογία vocem Ecclesie usurpant pro ipso loco sive edificio, in quo fideles ad prædicandum vel audiendum verbum DEI conveniunt, quemadmodum in jure Canonico passim tituli occurrunt de consecratione Ecclesie, i. e. templorum, non observantes, quod Isidorus, Lactantius & alij Patres inter *ἐκκλησίαν* & *ἐκκλησιαστικόν* quàm accuratissimè distinguant.

32. Deinde 2. concidit & altera futilis & monstrosa divisio, quâ Jesuitæ Ecclesiam distinguunt, in *virtualem, representativam & visibilem*. *Virtualem* vocantes, sanctorum Angelorum & beatorum cœlituum Ecclesiam, *Representativam* Pontificem Romanum ac reliquam Episcoporum atq; Cardinalium colluviem: *Visibilem* verò reliquam Christianorum (quos illi Laicos indignant) multitudinem.

33. Vanitas enim hujus distinctionis ultrò multis modis deprehenditur. 1. Enim simpliciter falsa est, siquidem non est divisio generis in species, neq; totius in partes, qualis esse debet omnis vera ac legitima divisio. Nam virtualis illa Angelorum Ecclesia sub idem genus cum Ecclesiâ, sive cœtu vocatorum non cadit, quippe, quæ neq; ex aliquâ vocatione, neq; ex vocationis mediis nobiscum unam constituit Ecclesiam.

34. Quamvis enim ante lapsum certum sit, Angelos & homines unam fuisse Ecclesiam, unam societatem, laudantium DEUM & prædicantium: attamen lapsu protoplastorum genus humanum ex hac societate fuit avulsam, & licet per CHRISTUM facta sit instauratio omnium, quæ in cœlis & in terrâ sunt Eph. 1. v. 10. CHRISTUS etiam, ratione universalis dominij sui divini, caput sit Angelorum non minus ac omnium Ephes. 1. v. 22. Col. 2. v. 10. 1. Petr. 3. v. 22. Ebr. 1. v. 6. Perfectè tamen id demum complebitur in alterâ vitâ, in quâ ex Angelis & electis hominibus iterum una societas, unum corpus, unus chorus DEUM glorificans constituetur.

35. Angelos igitur Ecclesie triumphantis cives ac partes esse ultrò concedimus, moti autoritate Apostolicâ Ebr. 12. v. 22. & 23. de militante verò Ecclesiâ, quatenus definitur, quod sit cœtus hominum è mundo evocatorum per verbum & Sacramenta, etiam atq; etiam inficiamur. Et quamvis piis cœtibus perpetuò adesse, sacrifq; Ecclesie conventibus nunquam non interesse 1. Cor. 11. v. 10. Apoc. 21. v. 12. perhibeantur: novimus tamen, quod intersint non ut partes propriè sic dictæ, sed ut custodes ac vigiles, imò, ut desiderantes introspicere & mirari illa ipsa mysteria, quæ prædicatione Evangelij hominibus annunciantur, 1. Petr. 1. v. 12.

36. Sacrilega & prophana 2. est hæc ipsa Jesuitarum distinctio, dum unus Sacrificulorum ordo, imò unus & solus Pontifex Romanus augustissimum Ecclesie titulum sibi rapit & nefariè arrogat: cum tamen Ecclesia per se sit nomen collectivum, universitatis alicujus nota, ex pluribus personis constans, omnifq; congregatio non nisi plurium esse possit.

37. Insuper & illud probè h. l. notandum erit, quandoquidem Ecclesie vocabulum propter usum generalem, etiam impiorum congregationibus tribuatur, ut Psal. 26. v. 5. ubi Ecclesia malignantium nominatur, idè in sacris literis plerumq; addi particulas distinctivas, ad denotandum veram Ecclesiam. Vocatur enim Ecclesia sanctorum 1. Cor. 14. v. 33. Ecclesia DEI Act. 20. v. 28. Ecclesia Jehovæ seu DOMINI Mich. 2. v. 5. Ecclesia altissimi Deut. 23. v. 1. Ecclesia CHRISTI Matth. 16. v. 18. Rom. 16. v. 16. Col. 1. v. 24.

38. Cæterum, ut de affectionibus Ecclesie propriis aliquid etiam dicamus
B quznam

quænam illæ & quales sint, tenendum est, ex attributis ipsius hoc satis evidens esse posse, inter quæ facilè principem locum obtinent ea epitheta, quæ in Symbolis nostris Oecumenicis, Nicæno cum primis sunt definita, utpote in quo Ecclesia dicitur
1. *Una* 2. *Sancta* 3. *Catholica* 4. *Apostolica*.

39. Vocatur ergò Ecclesia *Una*, non sicut Bellarminus l. 4. de notis Eccles. c. 10. definit, ex unione cum Romano Pontifice tanquam sponso & capite: neq; etiam, ut alibi asserit, ex conformitate rituum, sive ceremoniarum Papaliû. uti enim Pontifex Romanus neq; sponso neq; caput est suæ Ecclesiæ, sed adulter: ita ritus & ceremoniæ sunt ex numero accidentium, ad unitatem Ecclesiæ neq; quidem facientium.

40. Verum æstimanda erit hæc unitas. 1. Ex unitate veri Capitis DEI, qui est Pater, Filius & Spiritus Sanctus 1. Joh. 5. v. 8. 2. Ex unitate fundamenti, quod est solus CHRISTUS, Matth. 16. v. 18. 1. Cor. 3. v. 11. 3. Ex unitate doctrinæ Evangelicæ, quæ est anima & semen Ecclesiæ 1. Petr. 1. v. 23. 4. Ex identitate Sacramentorum, quæ sunt sigilla Evangelio annexa Matth. 28. v. 19. 1. Cor. 10. v. 16. 17. & c. 11. v. 33. 5. Ex unitate spei, vitæ & salutis æternæ, quæ in solâ Ecclesiâ tanquam officina Spiritus S. offertur, & extra quam non est salus. 6. Ex unitate unius corporis mystici, cujus summa & arctissima est membrorum ad invicem conjunctio 1. Cor. 12. v. 12.

41. Quemadmodum hæc unitatem solidissimè nobis explicat D. Paulus, Gentium doctor & Apostolus, in Epistola Ephesiis inscripta & nuncupata c. 4. v. 4. 5. 6. inquiens: Unum corpus & unus Spiritus, vocati in unâ spe vocationis, Unus DOMINUS, una fides, unum baptisma, unus DEUS & pater omnium, qui super omnes & per omnia, & in omnibus nobis.

42. Huic autem unitati minimè adversatur 1. Electorum sive fidelium in Ecclesiis particularibus per totum terrarum orbem dispersio, 2. neq; membrorum secundum tres distinctos status diversitas, haud magis atq; unitatem corporis humani solvit variorum membrorum dissimilitudo, 3. neq; ceremoniarum & rituum Ecclesiasticorum inæqualitas. 4. neq; dissensionum, quæ interdum de rebus fundamentum ipsum Religionis & fidei directè non concernentibus suboriuntur, varietas, uti patet exemplo Ecclesiæ Corinthiæ, quæ quidem schismata benè multa habebat, sed tamen à vinculo unitatis fidei minimè exciderat.

43. Frivolum proindè ac nugatorium planè hinc esse deprehenditur, putidum illud Jesuitarum commentum, delirantiâ, Lutheranam Ecclesiam de proprietate hæc & unitate veræ Ecclesiæ, verè gloriari non posse, siquidem ex unâ LUTHERI doctrinâ prodierint, Anabaptistæ, Svvencckfeldiani, Calvinistæ, & hujus farinae alij sectarij complures.

44. Haud inviti enim ipsis concedimus, sectarios ejusmodi exiisse à nobis; sed ita, ut nunquam fuerint de nobis 1. Joh. 2. v. 19. neq; absurdum alicui hoc videri poterit, si modò apud animum perpendat illud Apostolicum Act. 20. v. 30. Ex vobis ipsis exurgent viri perversa loquentes, ut abducant discipulos post se. Hæ igitur dissensiones unitatem fidei in cordibus piorum non tam labefactant, neq; doctrinæ veritatem tam suspectam reddunt, quin potius eandem mirum in modum confirment.

45. Meminerint ergò adversarij de unitate, & consequenter etiam de veritate Ecclesiæ, non esse judicandum ex hujus vel alterius privati hominis, vel plurium
etiam

etiam malè sentientium confessione aut scriptis, quibus sæpè numero multa incommodè satis dicta contineri minime inficiamur: sed potius ex Ecclesiarum nostrarum confessione publicà ad normam Scripturæ sacræ conscripta, omniumq; γινώσκω Lutheranorum calculo approbata, in quâ ejusmodi summam unitatem esse dicimus, ut hætenus ne præstantissimi quidem scriptores Pontificij contrarium ostendere potuerint.

46. Et hæc nostrarum Ecclesiarum unitas multis modis & parasangis Pontificiorum unitati erit præferenda, hæc enim est 1. interna & essentialis, in fidei & doctrinæ, quam ex sacris literis ab initio elucescentis Evangelij didicimus unitate consistens: illa verò Papalis unitas magnâ ex parte est externa & ceremonialis, in qualicunq; duntaxat ceremoniarum conformitate hærens, vigentibus interim gravissimis de rebus fidei dissensionibus. Hæc 2. est Christiana & libera, siquidem nemo apud nos vel minis vel vi aliquâ externâ cogitur ad fidem nostram amplectendam: illa verò est simulata & coacta persecutionibus ferro & igne plantata, si quis meretricis illius Babylonicæ placita exosculari detrectet. Hæc Lutheranorum unitas 3. est stabilis & immota, quippe quæ nititur immoto Prophetarum & Apostolorum fundamento; illa verò instabilis & incerta, mutabili Papæ & instabili variarum traditionum humanarum confuta principio & judicio, quæ omnia usq; adeò vera & firma sunt, ut Bellarminus ipse in Tomis suis controversiarum passim nostras Ecclesias consensionis nomine, in dogmatibus fidei, contra abominationes cohortis Pontificiæ mirificè commendet l. 1. de verbo DEI c. 10. & 15. l. 2. c. 10. l. 4. c. 3. l. 1. de justit. c. 12. & passim alibi.

47. Alterum Ecclesiæ attributum est, quod perhibetur *sancta*, non quidem ex propriâ aliquâ aut inhærentè, & quidem perfectâ sanctitate, sicut Jesuitæ somniant, & nugacissimè garriunt, sanctitatem Ecclesiæ eò extendentes, ut ostendant, Ecclesiam simpliciter & absolutè vi hujus sanctitatis errare non posse. (quo de errore suo dicetur loco.) Talis enim perfecta sanctitas nulla est, & certè, si Ecclesiam in singulis membris perfectam esse, adeoq; omni vitio ac labe vacare necessum foret, nullam prorsus in terris amplius habituri essemus Ecclesiam, siquidem non est homo, qui non peccet i. Reg. 8. v. 46. Psal. 143. v. 1. Joh. 1. v. 8.

48. Sed Scripturarum oraculis edocti eam sanctitatem Ecclesiæ largimur, quam habet à CHRISTO, qui eam verbo veritatis sanctificat Joh. 17. v. 17. nec non lavacro aquæ in verbo mundat Eph. 6. v. 26. reddens sibi ipsi gloriosam, tanq. sponsam dilectam, non habentem rugam aut maculas, aut quicquam ejusmodi v. 27.

49. Hanc verò sanctitatem nominamus in Scholis Theologicis vulgò, tum 1. *Imputativam*, appellationis hujus ratione petita à communicationis formâ, quâ sanctitas hæc Ecclesiæ propter CHRISTI meritum fide apprehensum gratis imputatur. Quæ sanctitas etiã in se perfecta, omnibusq; numeris absoluta est, ut vel unius hujus sanctitatis respectu potissimum Ecclesia sancta perhibeatur: tum 2. *Inchoativam*, & quodammodò propriam, quâ Ecclesia ejusq; membra rebus & studiis sanctis occupata serviunt DEO in sanctitate & justitiâ, Luc. 1. v. 75. & ad eum scopum contendunt, quem aliquando in vitâ æternâ consequentur.

50. Interim in hac vita etiã Ecclesia sancta nominatur. 1. ad differentiam aliorum cætuum in mundo, qui, nescio quo cœno peccati & infidelitatis involuti, extra Ecclesiæ pomeria constituti, in regno Satanæ versantur Joh. 8. v. 44. Eph. 2. v. 2.

dum interea hic cœtus visibilis DEO quasi dicatus, & CHRISTO per baptismum consecratus est. 2. Sancta dicitur, quod in hoc ipso visibili cœtu sonet verbi cœlestis puritas, cum legitimo usu Sacramentorum, quæ duo ubi sunt, ibi nunquam non verè sancti & electi reperiuntur.

51. Consequens ergò indè est, Ecclesiam non ex prædestinatis tantum constare, sed illam etiam Ecclesiam esse & dici sanctam, in quâ non est solida & absoluta vitæ morumq; puritas ac perfectio, id quod contra errorem Anabaptistarum, Novatianorum & Donatistarum probè observandum est.

52. Ideò Spiritus S. ipse etiam in Scripturâ nusquam corpus Ecclesiæ per angustos prædestinatorum limites: Sed potius per latissimum baptifatorum gregem describit, in quo grege certè multi sunt non sancti, qui licet veste nuptiali destituantur, nihilominus tamen nuptiis regiis interfunt Matth. 22. v. 11. & huc pertinent parabola de rete piscatorio, quo omnis generis pisces captantur, quorum in littore demum, i. e. in fine mundi fiet segregatio Matth. 13. v. 47. & 49. de semine in agrum projecto v. 4. 6. 7. & c.

53. Tertiò, appellatur Ecclesia *Catholica*, cujus vocis origo ad Symbolum Apostolicum ab ipsis Apostolis, antequam in universum terrarum orbem prædicandi Evangelij causa discederent, refertur, sicq; vocatur, non quidem ἀπλω̄ς absolutè & simpliciter, ex gentium & populorum, sive plurimorum sive omnium, semper & ubivis idem sentientium multitudine, quemadmodum Pontificij volunt, in dè potissimum veritatem Ecclesiæ catholicæ æstimantes. Sic enim 1. Epicuræorum cœtus, qui omnibus temporibus & locis longè maximus, sibiq; consimilimus est, pro Ecclesiâ Catholicâ meritò esset habendus. 2. Sequeretur temporibus Christi nullam fuisse Catholicam Ecclesiam quippe quæ angustis dumtaxat quibusdam angulis tùm terminabatur. 3. Corrigenda essent verba salvatoris nōminantis Ecclesiam pusillum gregem Luc. 12. v. 32. 4. Neq; Romana sic esset Catholica, quam particularem saltem esse testantur tùm termini quibus regnum pontificium respectu loci includitur: tùm 2. illæ Ecclesiæ quæ in toto Oriente pontificem pro Episcopo Oecumenico non agnoscunt.

54. Sed Catholica dicitur Ecclesia partim ex conditione doctrinæ, quæ est Catholica, quippe unanimi Prophetarum & Apostolorum omnium calculo & assensione contestata, & postea ab ipsis per totum terrarum orbem annunciata Marc. 16. v. 15. Matth. 26. v. 13. partim ab universitate temporum, locorum atq; ordinum, qui sunt in genere humano, à quorū nullo Ecclesia excludi hoc titulo significatur.

55. Appellatur ergò Ecclesia *Catholica*, primò ad differentiam Ecclesiæ V. T. quæ intra angustas terræ Judaicæ partes se continens, ex uno & solo populo Judaico ordinariè collecta Pl. 247. v. 19. 20. particularis potius quam Catholica sive universalis Ecclesia appellari potuit. Secundò ad differentiam Ecclesiarum particularium, quæ sub Catholicâ (ambitu suo omnes vocatos, quocunq; loco, sive electi & sancti sint, sive hypocritæ & non sancti, modò de doctrinâ consentiant, completente) tanquam partes sub toto comprehenduntur, adè ut simul sumtæ ejus integritatem constituent, quemadmodum in naturalibus & Logicis partes omnes simul sumtæ unum totum constituent.

56. Cumq; Ecclesia Catholica dicatur, non tantum ratione suæ substantiæ, quatenus ambitu suo complectitur totam vocatorum atq; baptifatorum multitudinem

dinem (quæ universalitas externa dici potest) sed etiam ratione quantitatis sive doctrinæ Catholicæ, quatenus una atq; eadem est totiùs Ecclesiæ fides, & confessio, fundamento Prophetarum & Apostolorum innitens (quæ universalitas interna nominatur) promptum est cuius colligere, quàm frigidè Jesuitæ, sepositâ fide Catholicâ ex solo nomine concludant, Romanam suam Ecclesiam esse veram Ecclesiam Catholicam, quia sic vocetur; cum tamen res ipsa loquatur, quod nec loci, nec temporis nec fidei ratione propriè loquendo sit Catholica.

57. Si enim ex nudo nomine licet argumenta deducere, utiq; & Judæi se rectè nominârunt filios Abrahæ ac filios DEI Joh. 8. v. 33. cum tamen nihil minus essent, quàm fidei Abrahamiticæ successores. Sic falsi doctores nominârunt se Prophetas & CHRISTI ministros, cum tamen essent Pseudoprophetæ Matth. 7. v. 15. Matth. 24. v. 42.

88. Et sanè, quod soli Ecclesiæ Romanæ nomen Catholicæ Ecclesiæ non competat, neq; etiam Ecclesia Catholica & Ecclesia Romana sit una & eadè Ecclesia, sed Catholicæ nomen latiùs sese extendat quàm Romanæ, hisce argumentis demonstramus.

59. I. *Ecclesia Catholica complectitur totum numerum salvandorum* Ebr. 12. v. 23. quorum quidam in cœlis jam regnant quidam verò in terris adhuc militant.

Ecclesia sola Romana non complectitur totum numerum salvandorum.

Ergò sola Romana Ecclesia non est Catholica.

Minorem probamus, quia Ecclesiæ Catholicæ amplitudo ex amplitudine exercitij baptismatis æstimari debet. Ubicunq; enim verus est baptismus, ibi est aliqua Ecclesia, siquidem baptismus est Sacramentum initiationis, quo aperitur ingressus in Ecclesiam. Jam verò cœtus legitimè baptifatorum fuit superioribus seculis, etiam extra Pontificiam Ecclesiam, & adhuc multò magis est extra Ecclesiam Papalem. Ergò Ecclesia Papalis sive Romana sola non est Catholica, sed potiùs respectu Catholicæ Ecclesiæ cœtu baptifatorum definita est tantum particularis Ecclesia, multòq; strictior & angustior, quàm illa fidelium omnium Catholica.

60. II. Arg. *Extra Ecclesiam Catholicam non est salus.*

At extra Ecclesiam Romanam multi salvantur.

Ergò Romana Ecclesia sola non est Catholica.

Major probatur Joel. 2. v. 32. Ubi salvatio tantum in monte Sion & in Jerusalem nobis obtingere dicitur, ideò, quicunq; extra Ecclesiam constituti sunt, illi à DEO, à CHRISTO, à Testamentis, à promissionibus, à spe deniq; filiorum DEI prorsus sunt alieni, quod ipsum etiam probatur ex typo baptismi quem Petrus 1. Cap. 3. v. 20. & 21. enarrat, ubi per baptismum homines salvari non extra arcam Ecclesiæ, sed in eâ restificatur.

Minor probatur exemplo infantum, qui tùm 1. in nostris baptifantur Ecclesiis, & quibus pontificij ipsi salutem minimè negant, quin eorum baptismum pro vero & legitimo habeant, eo ipso, quod licet postea interdum ad illorum partes concedant, non rebaptifant, tùm 2. eorum etiam, qui in orientali Græcorum degunt Ecclesiâ, & quibus nullâ ratione denegari potest titulus Ecclesiæ, eò, quod illic vigeat baptismus, ratione suæ substantiæ integer, quem initiationis Sacramentum, quem soliùs Ecclesiæ bonum proprium, quem æternæ salutis intra solam Ecclesiam permanentis, organon esse, testimoniis Scripturæ omni exceptione majoribus constat.

61. III. Arg. *Ecclesia Catholica amplectitur fidem Catholicam, consentientem scriptis Prophetarum & Apostolorum*, Eph. 2. v. 20. *Ecclesia Romana hoc non facit:*

Sed à Catholico ^{consensu} in multis Religionis Christiana articulis recedit, quod ali-
bi ostenditur.

Urgo Ecclesia Romana verè non est Catholica.

Et hæc quidem sunt argumenta præcipua, ex quibus clarissimum evadit, hæc duo, nim. Ecclesiam Catholicam & Romanam non esse ἰσοδυναμῶντες: Sed Catholicae Ecclesiae fines extendi lacius, quam Romanæ Synagogæ Pontificiæ.

62. Neq; est, quod Bellarminus cavilletur, nostram Evangelicorum Ecclesiam vel ideò non esse Catholicam, quod Lutherana vocetur. Non enim nobis ipsi hoc nomen imposuimus, neq; à LUTHERO Lutherani, ut olim Ariani ab Ario, dicti sumus, siquidem LUTHERUS non novum aliquod doctrinæ genus excogitavit, ut Arius: sed monstratis erroribus Pontificiis ex verbo DEI, Ecclesiam saltem reformavit: Sed ab adversariis nobis Νῆκερσῶς ἐνεκα imponi hoc nomen permisimus. Qua de re LUTHERUS ipse alicubi graviter monet, ne quis Lutheranum se vocet hoc sensu, ut Lutherum pro fidei Magistro & primo autore habeat: Sed Lutherani dicimur, quia illam amplectimur doctrinam, quam LUTHERUS divinitus excitatus, erroribus Pontificiis diu immerfam, in lucem iterum protulit, & contra Papicolas masculè & heroico spiritum propugnavit.

63. Manet proinde firmum ac fixum, Catholicam dici Ecclesiam N. T. 1. Quod nulli certo loco, nulli certo tempore, nulli certæ genti ea sit alligata: sed omnium sit locorum temporum & gentium, non quidem uti Jesuitæ volunt, quasi ipso actu semper & omnibus in locis ea conspiciatur: sed quod ita comparata sit ut omnibus in locis per totum terrarum orbem dispersa esse possit. 2. A conditione doctrinæ, quam amplectitur, unanimi Prophetarum, Apostolorum, omniumq; fidelium assensu, calculo & suffragio comprobata. 3. Quod non sit hæretica, sed sectetur fidem Christianam. 4. Quod communionem omnium Sanctorum per totum terrarum orbem dissipatorum contineat, quo respectu Ecclesia Catholica opponitur τοπιῶν sive particulari, adeò, ut hoc sensu nulla particularis Ecclesia, neq; Romana, neq; Ephesina, neq; Lipsiensis, neq; Vitebergensis possit dici Catholica: siquidem illæ omnes sunt meræ particulares, & membra Catholicae illius per totum terrarum orbem dispersæ Ecclesiae, quæ est mater omnium nostrum, Galat 4. v. 26.

64. Jam verò, si primi illi tres respectus ad nostram Lutheranam accommodentur Ecclesiam, nullo certè jure ei hoc elogium poterit negari, & licet Romanenses admodum magnificè de hoc titulo gloriantur: tamen eundem à Romanensibus, tanq. malæ fidei possessoribus, haud immeritò reposcimus.

65. Quarto deniq; nominatur Ecclesia Apostolica, quod sanè attributum nihil aliud est, quam quædam quasi declaratio Catholici. Dicitur enim Apostolica Ecclesia, non respectu ordinariæ alicujus successionis jam inde ab Apostolorum ætate ad nostra usq; tempora deductæ: Sed tantum respectu doctrinæ Apostolicæ, quam factam tectamq; Catholica CHRISTI Ecclesia conservat ac propagat, quippe edificata super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Ephes. 2. v. 20. 21. Unde firmissimū est hoc axioma: Quicumq; secundum regulam hanc Apostolicam incedunt, & censensum illum Catholicum fidei factum tectumq; custodiunt, illi verè sunt Catholici & Apostolici, & super illos manet pax & misericordia Gal. 6. v. 16. & vice versâ. Quo etiam axioma constituto promptum est colligere, augustum
hoc

hoc Apostolicæ Ecclesiæ elogium haud magis ad Romanam, atque olim ad Phariseorum aut aliorum quorumvis hæreticorum Ecclesiam accommodari posse, si modo inter doctrinam Apostolicam & Romanam accuratior aliqua instituaturs comparatio.

66. Distinctionibus hisce & affectionibus Ecclesiæ propriis quoq; annotatis disquirendum erit ulterius, quid propriè sit Ecclesia? Quandoquidem Jesuitæ longè aliter definiant, atque nos facimus. Bellarminus l. 3. de Eccl. milit. cap. 2. postquam aliquot nostrorum definitiones recitasset, tandem rejectis iis omnibus hanc Pontificiam inculcat: *Ecclesia* (inquiens) *est cætus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimerum Pastorum ac præcipuè unius CHRISTI in terris vicarij Romani Pontificis*

67. Quæ definitio non tam vera est definitio, quam monstrum potiùs definitionis haberi debet. Nam 1. nominata Christiana fide eam ipsam fidem intelligit, quam pontifex Romanus cum suo Clero profitetur, quæq; non verbo DEI scripto: sed maximè ex parte traditionibus humanis cum verbo CHRISTI è diametro pugnantibus nititur. 2. Per Sacramenta verò non tantum indigitat Baptismum & *Εὐχαριστίαν*, sed alia quinq; superaddit lib. 2. de Sacramentis, cap. 24. 25. 26. quæ ut alibi demonstrabitur, & hæctenus à nostris satis superq; demonstratum est, pro veris & propriè dictis Sacramentis haberi, nullà ratione possunt. 3. Per Pastores legitimos eos notat, qui certo rituum præscripto & sub Conjugij abjuratione à Pontificiæ Religionis Episcopis constituuntur. 4. Deniq; Pontificem Romanum, tanquam CHRISTI vicarium in terris ei assignat, ejusq; regimini Ecclesiam subijcit, usq; adeò, ut expressè asserere non vereatur excludi eos ab Ecclesiâ, qui quidem fidem & Sacramenta habent, sed non subduntur legitimo Pastori, i. e. Pontifici Romano.

68. Proindè repudiata & rejectâ hâc Bellarminianâ definitione, veræ & Christianæ Ecclesiæ, de quâ sonat articulus Symboli Apostolici, Credo Ecclesiam, alia erit extruenda qualiscunq; descriptio Theologica, quæ quidem non notet promiscuè universum vocatorum cœtum: sed tamen eò usq; extendatur, quò verè Christianus orbis sese extendit, ita ut in ea sint non soli electi & verè fideles (qui tamen extra cœtum vocatorum nunquam & nusquam reperiuntur, Rom. 8, v. 20.) sed omnes omninò, quotquot in sacro baptismo CHRISTO nomina sua dederunt, eidemq; quoad fidei professionem sunt aggregati, quos *ὅτι πλάται* & respectu eorum qui foris sunt 1. Cor. 5. v. 13. fideles nominare solemus.

69. Definitionem ergò Ecclesiæ talem proponimus: *Ecclesia est congregatio hominum, in quâ verbum DEI purè ac sincerè docetur, Sacramenta à CHRISTO instituta legitime administrantur, in quo cœtu Filius DEI efficax est, & voce Evangelij, & Spiritu Sancto, multos regenerat & sanctificat ad vitam eternam: Sunt tamen in eo cœtu multi etiam alij non sancti & hypocritæ: sed tamen de doctrinâ & externâ professione consentientes.*

70. Quæ definitio sive descriptio potius, cum fundamentum sit totius, quæ inter nos & Pontificios agitur controversiæ, brevem ejus ἀνάλυσιν ex sacris instituemus, ostendentes, eam veriorem esse Bellarminianâ, & legibus bonæ definitionis quàm optimè respondere.

71. *Genus* ergò est congregatio, sumta voce ex ipsâ Etymologia τῆς ἐκκλησίας, quæ cœtum sive congregationem notat, sicq; dicitur; Non quod semper & omni tempore membra Ecclesiæ ipso actu congregata esse debeant, talis enim congregatio non semper & ubiq; haberi potest, præsertim in persecutionibus Tyrannorum, ubi nihilominus Ecclesia est & manet, stante nimirum si non corporum externâ, saltem internâ animorum conjunctione, ex jure communionis spiritualis, quam in Symbolo Apostolico profiteremur.

72. Deindè dicitur congregatio hominum, idq; promiscuè, sive Judæi sint, sive Gentiles. Diruta enim macerie ἀνευ προσωποληψίας omnes ad regni CHRISTI consortium vocantur, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. Act. 13. v. 46. Joh. 10. v. 16.

73. *Differentiæ specificæ loco* ponitur 1. Pura verbi prædicatio, Joh. 10. v. 27. Verbum enim est semen, undè Ecclesia nascitur, 1. Pet. 1. v. 23. Jac. 1. v. 18. 2. Legitimus usus Sacramentorum, putà baptismi & cœnæ Dominicæ, quorum illud quasi quædam est janua, per quam in Ecclesiam ingredimur, ejusq; constituimur cives, undè & initiationis Sacramentum vocatur: hoc verò quoddam quasi pabulum est fidem in CHRISTUM roborans atq; confirmans.

74. Et hæc differentiâ vera CHRISTI Ecclesia distinguitur non solum ab aliis hominum cœtibus, qualescunq; illi sint: sed simul etiam ab Ecclesiâ malignantium, quæ congregatur instinctu & impulsu Satanæ, cujus etiam dicitur Synagoga, Apoc. 2. v. 9. quæ quidem laudes & præconium veræ Ecclesiæ sibi arrogat: sed falso & inani titulo, dum verbum DEI corrumpit, & Sacramenta mirum in modum contaminat, veramq; CHRISTI Ecclesiam hostili & immani odio persequitur, sicut nostro hoc tempore in Antichristianâ Romanensium Synagogâ videre est.

75. Additur insuper, quod DEUS in hoc cœtu, & quidem ordinario modo, sit efficax, ne quis existimet, DEUM etiam extra Ecclesiam absq; ministerio verbi & Sacramentorum multos salvare. Nam salvationem in Ecclesiâ usq; ad eò fieri voluit DEUS, ut, sicut extra arcam Noæ, quæ fuit typus & figura Ecclesiæ, 1. Petr. 3. v. 21. nemo à diluvio servatus est: ita extra illam salus nemini obtingere possit.

76. Deniq; mentio quoq; fit, non Sanctorum & hypocritarum, qui huic cœtui admixti sunt, per non sanctos intelligentes, non planè infideles: sed eos, qui quidem per baptismum corpori Ecclesiæ & cœtui vocatorum sunt inserti, non autem dignè ambulant suâ vocatione, quâ vocati sunt, Ephes. 4. v. 1. neq; sanctimoniam perficiunt cum timore DEI, 2. Cor. 7. v. 1. Sed verâ fide carentes vel peccatis contra conscientiam delectantur, vel etiam actâ poenitentia nihilominus in pristinam impietatem veluti canis ad vomitum, 2. Petr. 2. v. 22. & sus lota ad cœni volutabrum relabuntur. Per hypocritas verò notantur illi, qui quidem de capitibus doctrinæ Christianæ consentire se verbis profitentur, cum interim neq; calidi neq; frigidi sint Apoc. 3. v. 15. vel si etiam consentiant, factis tamen DEUM abnegant, ita se gerentes, ut habentes formam pietatis à quibusvis profanissimis habitis, intus virtutem pietatis abnegent, 2. Tim. 3. v. 5. 2. Cor. 5. v. 12.

77. Hos autem in Ecclesiâ esse dicimus, propter Donasticarum & Anabaptistarum delirium, qui nescio quam ideam simplicissimæ & absolutissimæ alicujus sanctitatis sibi imaginantes, vel hanc ob causam à nostris Ecclesiis divortium faciunt,

ciunt, quod etiam non sancti & hypocritæ in illâ reperiantur, quod tamen Scriptura, sive potius Spiritus Sanctus in & per Scripturas loquens passim disertis verbis attestetur, Matth. 13. v. 25. 47. 48. cap. 22. v. 11. Luc. 13. v. 7. 2. Tim. 2. v. 20. ex quibus elogiis satis constat, non esse adeo puram & immaculatam in hac terrâ Ecclesiam, quin semper sanctis & verè credentibus sint etiam non Sancti & hypocritæ admixti, quicquid etiam hi fanatici grunniant. Et hæc de naturâ & definitione Ecclesiæ sufficiant.

CAPUT SECUNDUM.

De vero Ecclesiæ capite.

Q. *An CHRISTUS solus sit caput suæ Ecclesiæ? An verò Ecclesia Catholica fundata sit super personam Petri, & hujus in sede successores Pontifices Romanos, qui caput & fundamentum Ecclesiæ, dici & haberi debeant?*

78. Catholicam CHRISTI Ecclesiam certo niti capite & fundamento, extra omnem controversiam est positum. Cum enim Ecclesia tale sit corpus, cujus membra non naturali aliquo vinculo cohærent: sed solâ virtute Spiritus Sancti invicem coalescunt, certè ἀκὴ Φαλον illud esse nequit, quin ipsa corporis ac capitis analogia requirat, ut Ecclesia habeat certum caput, & quidem tale caput, quod

79. I. Non sit alienum, sed proprium ac nativum. Quemadmodum enim corpus nullum movetur, & animatur, nisi à proprio suo capite, cui quodcunq; alienum caput imponas, protinus illud vitæ sensusq; manebit expers: ita Ecclesiæ, nisi ex proprio suo ac nativo capite, vita salusq; constet, nunquam ex alieno capite hæc ipsi obtingere possunt.

80. II. Non sit geminum, sed unicum. Plura enim si haberet capita, aut 1. simul haberet, & ita in monstrum aliquod biceps degeneraret, aut 2. Successivè, quæ successio locum habere non potest, nisi mors interveniat, quoties novum caput esset imponendum. Jam verè caput Ecclesiæ non moritur amplius, Rom. 6. v. 9. aut 3. subordinatè, quasi principali capiti aliud tanquam vicarium esset adjunctum, Hoc enim capitis illius principalis impotentiam argueret.

81. III. Non sit ignavum aut brutum, sed efficax & vivificum, membris singulis vitam ac vigorem largiens & conservans, alias enim non corpus, sed cadaver esset Ecclesia.

82. Nullum verò aliud præter solum CHRISTUM, quem DEUS super omnia dedit ipsi Ecclesiæ, Eph. 1. v. 1. caput Ecclesiæ constituendum esse, Scriptura sacra satis superq; confirmat, usq; adeo, ut si tota Scriptura & omnia loca illius quam diligentissimè excutiantur: attamen ne unicum saltem testimonium proferri poterit à Jesuitis, quod vel explicitè vel implicitè saltem doceat, præter solum & unicum CHRISTUM, vel Petrum, vel ejus successorem, Papam Romanum, esse caput Ecclesiæ.

83. Etenim, si is demum habendus est pro Ecclesiæ capite, cujus. 1. Corpus est Ecclesia. 2. Qui omnia in omnibus adimplet. 3. Qui salutem dat corpori, sequitur, non Papam Romanum, sed solum & unicum CHRISTUM esse caput Ecclesiæ. Solus enim CHRISTUS corpus suum habet Ecclesiam, Ephes. 1. v. 22. & 23. Solus
omnia

omnia in omnibus adimplet, Eph. 4. v. 10. solus dat salutem corpori, Eph. 5. v. 23. neq; in ullo alio salus, neq; aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri, Act. 4. v. 12.

84. Convenit ergo inter nos & Jesuitas in hoc, Ecclesiam certo capite & fundamento niti: sed quodnam illud sit, controversitur. Illi enim non uno contenti capite, aliud adhuc effingunt, nempe Pontificem Romanum, & quidem sub hoc pallio & prætextu, ut CHRISTUM dicant caput Ecclesie primarium, Papam vero caput Secundarium & vicarium.

85. Verum quam frivola & inanis hæc sit palliatio, luce meridianâ clarius est. Si enim CHRISTUS est ita plenarium cunctisq; numeris perfectum & absolutum Ecclesie suæ caput, ut alio capite non indigeat, cujus adjumento suppleatur quidam defectus officij ipsius, vel quod vices gerat CHRISTI velut ab Ecclesia procul absentis, quid opus erit vicario & secundario capite? Neq; enim abest unquam CHRISTUS à suâ Ecclesia, cui sanctè promisit, velle se esse in medio fidelium usq; ad consummationem seculi Matth. 18. v. 20. qui etiam secundum carnem ad dexteram Majestatis & omnipresentiæ DEI exaltatus est, ut omnia impletet, Ephes. 4. v. 15. & ut dominaretur in medio inimicorum suorum, Psal. 110. v. 3. & inambularet in medio candelabrorum, Apoc. 7. v. 13.

86. Quod si autem quis urgeat, ministros verbi esse & perhiberi CHRISTI vicarios, nomine CHRISTI legatione apud nos fungentes, 2. Cor. 5. v. 20. proinde & Pontificem Romanum optimo jure caput secundarium, & ministeriale vocari posse & debere: dicimus tamen 1. infinitum esse discrimen inter verbi ministerium, & dominatum Papæ. Non enim concionatores sunt vicarij CHRISTI absentis, sed sunt legati & internuncij CHRISTI presentis, & cooperantis illorum ministerio, Marc. 16. v. 20. imò ita presentis, ut non ausint quicquam loqui eorum, quæ CHRISTUS non efficit per illos, Rom. 15. v. 2.

87. Deinde, contradictio qd. est in adjecto, capiti constituere caput ministeriale. Si enim Papa est caput, utiq; non minister ejus cujus est caput: sin minister, certè nullo modo caput esse poterit. Deniq; non dicam, quod Papa ipse non concedat, se esse ministrum: sed potius se vult esse magistrum. licet enim ad speciem se vocet servum servorum DEI; factò tamen ipso declarat, se talem esse servum servorum qui simul sit Rex Regum, & DOMINUS dominantium, extollens se supra leges DEI, supra jura universa, supra scripturam, Conciliaq; universa divinam sibi ejusmodi potestatem arrogans, ut ausit novos condere fidei articulos, nec non Sacramenta immutare, quæ omnia ostendunt, Papam Romanum non Ministerium sed Magisterium imò tyrannicam & plusquam diabolicam exercere potestatem, quemadmodum sequenti disputatione audiemus.

88. Ne autem nostro indulgere videamur genio, producimus ipsum Bellarminum lib. 2. de Pont. R. cap. ult. ex nominibus diversis Pontificem suum sic definitentem: Pontifex Romanus est 1. Papa, 2. Pater patrum, 3. Christianorum Pontifex 4. Summus Sacerdos, 5. Princeps sacerdotum, 6. Vicarius CHRISTI, 7. Caput corporis Ecclesie, 8. Fundamentum adificij Ecclesie, 9. Pastor ovilis DOMINI, 10. Pater & doctor omnium fidelium, 11. Rector domus DEI, 12. Custos vineæ DEI, 13. Sponsus Ecclesie, 14. Apostolica sedis præsul, 15. Episcopus universalis.

89. Caterum monarchatûs hujus papalis fundamentum constituunt Romanenses.

nenses D. Apostolum Petrum, quem Ballarminus lib. 1. de P. R. cap. 10. & seqq. universalis Ecclesiae caput & principem ab ipso CHRISTO constitutum fuisse affirmat tribus nixus rationibus.

90. Quarum prima petita est, à Scripturæ aliquot locis, in primis Matth. 16. v. 18. Joh. 21. v. 15.

Altera petita est ex prerogativis singularibus D. Petri, quarum non sine molestia XXVIII. multis capitibus lib. 1. cap. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. per censet Bellarminus, inter quas I. est, *Nominis mutatio* Joh. 1. v. 42. ubi CHRISTUS ait: Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas. 2. *Quod cum ab Evangelistis nominantur Apostoli vel omnes vel aliqui, semper primo loco ponatur Petrus* Matth. 10. v. 2. Marc. 3. v. 13. Luc. 6. v. 1. Act. 1. v. 13. 3. *Quod solus Petrus unà cum DOMINO ambulaverit super Aquas* Matth. 14. v. 29. 4. *Quod peculiaris Petro facta fuerit revelatio, ut sciret, CHRISTUM esse filium DEI naturalem* Matth. 16. v. 18. 5. *quod ipsi promissio facta fuerit, portas inferorum non prevalituras adversus Ecclesiam.* 6. *quia DOMINUS jubeat tributum solvi pro se & Petro* Matth. 17. v. 27. 7. *quia DOMINUS duo ediderit miracula in piscatione Petri,* Luc. 5. Johan. 21. 8. *Quia DOMINUS oraverit pro Petro, ne fides ipsius deficeret* Luc. 22. v. 32. 9. *Quia DOMINUS resurgens primum apparuerit Petro* Luc. 24. v. 34. 10. *quia Petrus primus fuerit, cui DOMINUS pedes laverit* Joh. 13. v. 6. 11. *quia soli Petro CHRISTUS mortem prädixit, & quidem mortem crucis* Joh. 21. v. 19.

91. 12. *Quod Petrus tanquam pater familias collegerit in unum, cætum discipulorum, & unum eligendum esse doceat, in locum Judæ* Act. 1. v. 15. 13. *quod Petrus post acceptum Spiritum S. omnium primus promulgavit Evangelium & primam illam concione tria millia converterit,* Act. 2. v. 41. 14. *quod primum miraculum in testimonium fidei à Petro factum sit in claudio* Act. 3. v. 6. 7. 8. 15. *quod Petrus tanquam summus judex damnaverit fraudem Anania & Saphire* Act. 5. v. 3. 16. *quod Petrus tanquam dux in exercitu transferit per omnes* Act. 9. v. 32. 17. *quod Petrus omnium primus inceperit predicare Gentilibus, motus visione cælesti* Act. 10. v. 17. 18. *quod pro Petro in carcere constituto facta sint preces sine intermissione* Act. 12. v. 5. ab Ecclesia. 19. *quod Petrus in concilio primò locutus fuerit, & sententiam ejus reliqui sint secuti* Act. 15. v. 7. 20. *quod Paulus dicat Gal. 1. v. 18. se post annos tres ascendisse Hierosolymam, videre Petrum tanquam se majorem* 21. *quod CHRISTUS ex viris suam manu solum Petrum baptisavit, referente Euthymio & Nicephoro, lib. 2. Hist. cap. 3.* 22. *quod solus Petrus à CHRISTO immediatè ordinatus fuerit Episcopus, cæteri autem à Petro consecrationem acceperint, teste Johan. de Turre cremata, lib. 2. summæ de Eccl. cap. 31.* 23. *quod Petrus primum Hæresarchum Simonem magum damnarit, Act. 9. v. 20.* 24. *quod Petrus Romam caput orbis terrarum, & omnium urbium reginam sedem suam jussu divino occuparit, reliquis Apostolis in orbem terrarum emissis.* 25. *quod CHRISTUS sub finem vitæ Petro ipse apparuerit, & roganti, DOMINE quò vadis, respondere dignatus sit: Venio iterum Romam crucifigi.* 26. *quod sola illa Ecclesia semper sint habitæ patriarchales & prima, quæ Petrus fundarit.* 27. *Quod quot-annis in Ecclesia celebretur dies festus in honorem institutionis Episcopatus Petri, quod non fiat pro sedibus aliorum Apostolorum.* 28. *quod antiqui in literis formatis post nomen Patris, Filij & Spiritus S. literam Π adjunxerint eo ipso respicientes ad nomen Petri, tanq. Apostolorum principis.*

92. Tertia ratio Bellarmini petita est ab autoritate Patrum tum græcorum tum latinorum, qui uno ore primatum Petri stabilierint.

93. Ex his tandem tanq; principiis anapodictis infert, D. Petrum præfidisse Romæ annis 25. veluti summum ac universalem Episcopum omnium Ecclesiarum, eoq; mortuo successisse in monarchiâ Ecclesiasticâ Pontifices ordine & serie cœntinua, ac nunquam interrupta, qui semper haud secus ac Petrus ipse, pro capite Ecclesiæ fuerint agniti, & adhuc hodiè agnosci debeant. Verùm purum hoc esse ac palpabile mendacium, quòd Petrus Romæ tanq. caput & Episcopus fuerit, indè probamus.

94. I. Quòd Lucas in libro actuum Apostolicorum præcipuos præcipuorum Apostolorum actus describens, de ejusmodi Episcopatu Romano in personâ Petri ne verbulum referat, cum tamen aliàs satis crebram & Petri & factorum ejus mentionem faciat.

95. II. Quia Paulus tùm 1. ad Romanos scribens, cum salutasset Christianos quamplurimos, Petrum non salutat, quod certè factum excusari minimè posset, si Petrus Episcopum tum temporis Romæ egisset. Neq; est, quod Jesuitæ objiciant; neq; Johannem Episcopum Ephesinum, in Epistolâ ad Epheseos à Paulo fuisse solutum, neq; Jacobum Episcopum Hierosolymitanum in Epistolâ ad Hebræos. Utrobq; n. magna apparet diversitas, siquidem in Epistolâ ad Epheseos neminem nominatim salutat Apostolus, quemadmodum in Epistolâ ad Romanos, ubi sub finem cap. 16. benè longum textit catalogum, tùm salutandorum, tùm salutantium. Ad Hebræos mirum non est, non salutasse Jacobum, posito enim hoc, non concessio simpliciter, Jacobum fuisse Episcopum Hierosolymitanum: notum tamen est, Paulum Epistolam ad Hebræos non inscripsisse aut nuncupasse certæ alicui urbi, sive Hierosolymitanæ sive alteri: sed exarata est ad totam gentem Judaicam in toto terrarum orbe tum temporis dispersam.

96. Tum etiam 2. ex urbe Româ scribens aliquòt Epistolas, putà ad Galatas, Eph. Coloss. Philippens. Hebr. Poster: ad Timoth. & ad Philemonem, eosq; fratrum suorum Romanorum nomine salutans Phil. 4. v. 21. Col. 4. v. 10. Petri prorsus non meminit.

97. III. Quod chœnologia & temporis supputatio cum Episcopatu Petri annorum 25. non congruat, id quod ostendi potest, si scil. 1. exigantur anni Episcopatus Petrini ad annos Imperatorum, sub quibus vixit, 2. Conferantur cum ipsius Petri actionibus.

98. Annos igitur illos Episcopatus Petrini collatos ad annos Imperatorum, sub quibus vixit, quod attinet, ex iis sic colligimus. CHRISTUS salvator passus est anno Tyberij 18. qui Tyberius cum referente Suetonio in ejus vitâ imperarit annos 23. supererunt post passionem DOMINI ex Tyberij imperio anni 5. Tyberium insecutus est Caligula, & annotante eodem Suetonio, regnavit triennium, & post hunc Claudius 13. annos, hunc secutus est Nero, sub quo Petrus cruci affixus dicitur idq; anno regni Neronis secundo. Hi anni, si colligantur supputatione Arithmetica, erunt à crucifixione DOMINI ad mortem Petri, anni. 23. Quod si ergò Petrus vixit, non nisi annos 23. post passionem Salvatoris, quî quæso Romæ 25. annos ex sententia Romanensium sedere potuit?

99. Utq; hæc falsitas dogmatis Pontificij eò clarius & lucentius pateat, referantur huc ea, quæ Bellarminus ipse D. Petro circa hoc problema tribuit, lib. 2. de Rom. Pont. cap. 6, & 7. Si n. antequam veniret Romam, prædicavit in Judæa annos.

nos quinq; ut habet Bellarm. d. l. anno quinto verò à passione DOMINI ingressus est Antiochiam, ut fatetur idem, Antiochiæ Episcopum gessit annos septem, consequens est, duodecimo anno à Passione DOMINI Petrum venisse Romam. Subtractis a. annis 12. ex tempore imperij Cæsarum, à crucifixione DOMINI ad mortē Petri (ut thesi antecedenti dictum est) remanent non nisi anni undecim. Si porrò & huic numero demamus sexennium ab ipso Bellarmino subtractum, lib. 2. de R. Pontif. c. 7. dum ait, Petrum anno 9. Claudii Romā pulsum, reversum demum anno Neronis 2. tūm ex toto remanebit quinquennium, idem fermè numerus remanet, si juxta Pontificios Romam venit Petrus anno 2. Claudii, & ejusdem anno 9. rejectus est.

100. Actiones verò Petri quod attinet, si conferantur cum annis illis 25, durationi Episcopatus Romani in personā Petri à Papicolis assignatis, idem evincunt. Si enim Petrus conventioni suæ inter se & Paulum institutæ, ut hic gentibus, ille Judæis Evangelisaret, satisfacere debuit, oportuit ipsum in Judæa, & per consequens non Romæ manere. Accedit & aliā supputatio ex Epistolâ Pauli ad Galatas deducta. Ibi enim Galat. 1. v. 17. Paulus à suâ conversione anno primo post passionem DOMINI abiit in Arabiam, reversus inde post annos tres ascendit Hierosolymam videre Petrum Act. 9. v. 26. Gal. 1. v. 18. elapsis annis 14. iterum invisit Petrum Hierosolymis Gal. 2. v. 1. Ergò Petrus anno à Passione DOMINI 18. adhuc fuit Hierosolymis, non Romæ.

101. In secundo hoc congressu Petri cum Paulo iterum inter eos convenit, ut Petrus Jacobus & Johannes Judæis prædicarent Evangelium, Gal. 2. v. 9. requisitum ad hunc laborem fuit ad minimum biennium, quod si addas prioribus annis 18. emergent anni 20. Exacto hoc tempore venit Antiochiam, poscente hoc serie narrationis Paulinæ in Epistola ad Galatas, addatur septennium, quod Antiochiæ exegit, & provenient anni viginti septem. Accedant anni Episcopatus Romani 25. consequens erit, Petrum mortuum fuisse anno post CHRISTI Passionem 52. quod tempus incideret in annum quintum Domitiani, sexti à Nerone Cæsaris. Quia verò certum est, Petrum sub Nerone palo affixum mortuum esse, falsum est, Petrum Episcopum Romanum egisse, falsissimum verò præfuisse annis 25.

102. Verùm ut redeamus ad scopum, à quo quodammodò digressi sumus, an videlicet Petrus pro fundamento & capite Ecclesiæ Catholicæ haberi debeat, siquidem loco CHRISTI ab ipso CHRISTO talis princeps & totius Ecclesiæ caput constitutus sit, tenendum est, quæstionem hîc non esse, *an nullo planè modo & respectu Petrus Ecclesiæ fundamentum statui possit ac debeat.* Concedimus n. ultrò, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, sed eo modo, quo omnes Prophetæ & Apostoli fundamentum Ecclesiæ nuncupantur Eph. 2. v. 20. Apoc. 21. v. 14. videlicet ratione doctrinæ, quâ illi fundamentum Ecclesiæ CHRISTUM JESUM ostendebant ac docebant: sed quæstio versatur in eo, *an Petrus à CHRISTO tanq. princeps reliquorum Apostolorum fuerit constitutus, ut hos illius nutu atq; arbitrio unice stare oportuerit:* imò, ut non modò universalem docendi: sed dominandi insuper potestatem in universâ Ecclesia haberet, in rebus Christianæ Religionis pro libitu agendi, scripturas ex proprio cerebro explicandi, Sacramenta à CHRISTO instituta immutandi, nec non cætera ad cultum externum pertinentia pro libitu & arbitrio ordinandi, quemadmodum somniant Papistæ.



103. Talem primatum & monarchatum fictum falsumq; & impium esse move-
mur his rationibus & argumentis.

I. Quia Monarchatus ejusmodi impugnat & violat ipsum CHRITI offi-
cium, siquidem is solus est caput Ecclesiæ 2. Cor. 11. v. 2. Col. 2. v. 19. sponfus Eph.
5. v. 29. & 32. sacerdos sive Pontifex Ebr. 7. v. 21. & 24. 1. Petr. 5. v. 4. fundamen-
tum 1. Cor. 3. v. 11.

104. II. Quia Petrus fuit reprehensibilis, in administratione Ecclesiæ, neq;
rectâ viâ incesit ad veritatem Evangelij, teste Paulo Gal. 2. v. 12. 14. qui ipsi etiam
hoc nomine in faciem restitit, quod cum Petrus passus sit, liquidò patet, Petrum
ne Pauli quidem, multò minus Ecclesiæ caput fuisse, aliàs Paulus id nunquam at-
tentasset, commonefactionis suæ haud immemor Ebr. 13. v. 7. Præpositorum ve-
strorum mementote, & Rom. 13. v. 1. Omnis anima potestatibus supereminenti-
bus subdita sit.

105. III. Accusatur, & facti sui causam reddere jubetur à conversis Judæis
Act. 11. v. 2. 3. Si ergò caput fuisset Ecclesiæ, utiq; illi Judæi acerrimâ reprehen-
sione digni essent, quod utpote membra capitis sui dicta factaq; in disceptationem
vocare non erubuerint: imò Petrus ipse acerrimâ reprehensione dignus esset,
quod officij sui immemor ipsos hoc nomine non objurgarit, quod contra se infur-
gerent, dictorum factorumq; suorum poscentes rationem.

106. IV. Ab Apostolis mittitur & ablegatur Samariam Act. 8. v. 14. Jam ve-
rò superiorem mitti ab inferiore, absolum planè est & infrequens, consequens er-
gò erit, Petrum non fuisse caput reliquorum Apostolorum, sed potius ejusdem au-
toritatis.

107. V. Quia non solus, sed adhibito collegarum suorum Apostolorum & Se-
niorum consilio controversias Religionis decedit Act. 15. v. 6.

108. VI. Sibi ipsi primatum derogat, siquidem neq; ex actis Apostolicis, neq;
ex ulla aliâ fide digna historia constat, Petrum unquam talem primatum sibi arro-
gasse: imò, quantum ex ipsius Epistolis constat, nusquam sese pro Ecclesiæ capite
venditavit, sed solius CHRISTI tanq; fundamenti meminit 1. Petr. 2. v. 4. 6. Act.
4. v. 11.

109. VII. Quia Paulus Apostolus fatetur, se non esse inferiorem summis
Apostolis 2. Cor. 11. v. 15. cap. 12. v. 11. Sit ergò jam Petrus maximus Apostolorum,
nunquam tamen primatum obtinebit. Qui enim habet parem, is solus princeps
& monarcha esse non potest. Petrus habuit parem videlicet Paulum. Ergò. Et
hoc ipsum etiam constat ex Gal. 2. v. 9. ubi Petrus Paulo dedit dexteram societatis.
Jam verò si Petrus fuisset Pauli Magistratus, insolitum planè fuisset atq; inauditum,
principem servo dare dexteram societatis. Posito n. Magistratum interdum dare
subdito dextram: non tamen statim est dextera societatis, quam non dat nisi socius
socio, æqualis æquali, par pari.

110. VIII. Monarchatus ejusmodi adversatur & repugnat toti Apostola-
tui. Si enim Apostolica dignitas summa est, utiq; non fictitius ille primatus pro
summâ dignitate erit habendus: sed Apostolicam dignitatem summam esse patet
1. Cor. 12. v. 28. ubi Apostolus inquit: Dedit DEUS in Ecclesia primùm Apосто-
los. Eph. 4. v. 11. Ergò. Ex quib. omnibus constat, D. Petrum Ecclesiæ univer-
salis Monarcham nunquam constitutum fuisse, adeoq; multò minus ejus successo-
res

res pro talibus agnoscendos esse. Sed videamus jam argumenta & rationes, quas *Bellarminus* adducit, quas in triplici differentiâ posuimus.

III. *Primus* ergò locus sumitur ex *Matth. 16. v. 18.* ubi sic colligunt *Jesuitæ*:
Quem CHRISTUS Ecclesie fundamentum posuit, is caput ejus rectè creditur.

Sed CHRISTUS d. l. Petrum posuit fundamentum Ecclesie.

Ergò.

Undè porrò inferunt.

Quicquid datum fuit Petro, id pertinet ad Romanum Pontificem tanquam Petri successorem.

Sed d. l. datum fuit Petro, ut esset generalis Episcopus omnium Ecclesiarum atq; eandem caput.

Ergò idem etiam ad Romanum pertinet Pontificem.

112. Sed quis non multiplices errores, sophismata & falsitates hujus argumenti ultrò deprehendit? præterquam enim quod ex figuratis & Metaphoricis S. Scripturæ phrasibus nihil certi possit colligi, nisi id ipsum alibi in S. Scripturâ propriè & perspicuè doceatur. Primò est ambiguitas in terminis Fundamenti & Capitis. Fundamentum enim 1. propriè significat id, super quod ædificium fundatur, & à quo id sustinetur. 2. impropriè illud etiam fundamentum esse dicitur, quo res aliqua quovis modò nititur. Priori sensu solus *CHRISTUS* est fundamentum 1. *Cor. 3. v. 11.* posteriori verò omnes Apostoli *Eph. 2. v. 20.* *Apoc. 21. v. 14.* quemadmodum & vox Capitis æquivoça est, significans eum, qui vel dominatu, vel ætate, vel dignitate, vel doctrinâ cæteris præstat, quemadmodum *Cyrillus* vocabatur Caput Episcoporum in Synod. Ephesinâ.

113. Deindè committitur sophisma falsæ & vitiosæ interpretationis, dum *Jesuitæ* verba *CHRISTI* sic interpretantur, quasi dixisset, super te Petrum & super tuos successores in posterum eligendos, i. e. Episcopos Romanos ædificabo Ecclesiam meam, ut à tuo tuorumq; successorum nutu illius regimen tanq. à capite dependeat. Hoc enim nihil aliud est, quàm Scripturæ, imò ipsi Spiritui sancto in & per Scripturas loquenti veteratorie illudere, quippe qui disertis verbis testatur, fundamentum Ecclesie esse solum *CHRISTUM* 1. *Cor. 3. v. 11.* *Eph. 2. v. 20.* 21. 1. *Pet. 2. v. 5.* Quare hoc alteri cuidam, quisquis ille sit, tribuere cum insigni sacrilegio erit conjunctum.

114. Non dicam, quod *CHRISTUS* ipse disertis verbis inter Petrum, qui *CHRISTUM* confitebatur, & inter Petram, super quam ædificaturus erat Ecclesiam, quàm accuratissimè distinxerit. Non n. dixit Petro: Tu es Petrus & super te ædificabo Ecclesiam, quemadmodum paulò post dixit: Tibi dabo claves regni cælorum, neq; dixit, Tu es Petra, & super hanc petram &c. Sed dixit: Tu es Petrus nomen habens à petrâ, (quemadmodum Christianus à *CHRISTO* dicitur) Tu, inquit, es, Petrus, dictus à petrâ, quam confessus es, & super hanc ipsam petram, quam confessus es, quam cognovisti, id est super memetipsum, quem confessus es, Filium *DEI* viventis, ædificabo Ecclesiam meam, usq; adè, ut portæ inferorum non possint prævalere adversus eam, quod aliàs certè fieret, aut jam olim factum fuisset, si hæc *CHRISTI* promissio de perpetuâ

petuâ conservatione Ecclesiæ non in ejusdem confessione sive doctrinâ Ephes. 2. v. 0. vel potius in ipso CHRISTO, quam confessus erat, Petrus Eph. 1. v. 22. sed solùm in Petri personâ fundata esset.

115. Petrus enim fuit homo peccator, ipse alio indigens fundamento, quo adversus inferorum portas fidem suam tutari posset, sic Matth. 26. v. 69. CHRISTUM Servatorem ter abnegando fidei fecit naufragium, à CHRISTO carnalia sapiens nominatur Satanas, & ab ipso discedere jubetur, Matth. 16. v. 23. à Paulo ipsi non recto pede incedenti ad veritatem Evangelij publicè in faciem contradicitur, Gal. 2. v. 14. mortalis insuper fuit, ipso igitur mortuo, fundamentum certè Ecclesiæ subverti oportuisset, quæ omnia cum oppidò absurda sint, colligimus inde, neutrum verbis CHRISTI asseri, neq; quod Ecclesia super Petrum ædificanda sit, neq; quod Petrus ratione personæ & externi dominij sit Ecclesiæ fundamentum.

116. Neq; est, quod Bellarminus urgeat, pronomen relativum hanc necessariò referendum esse ad petram aliquam visibilem, cui CHRISTUS dixerit, Tu es Petrus, præsertim cum CHRISTUS Syriacè locutus sit: Cephass autem Syriacè idem significet quod petra. Posito enim, pronomen hanc referendum esse ad petram aliquam visibilem; non tamen statim sequitur: Ergò Petrus fuit illa petra visibilis, quasi verò non CHRISTUS ad semetipsum hoc referre, & sic semetipsum monstrando dicere potuerit, se esse illam ipsam petram, quam Petrus confessus erat. Deindè dubium & incertum, imò falsum est, CHRISTUM Syriacè fuisse locutum. Proindè in ejusmodi dubiis non ad versionem Syriacam recurrendum esse statuimus: sed potius ad fontes græcos, quos Apostoli nobis reliquerunt. Non dicam, quod ipsa versio Syriaca aptissimè distinguat inter Cephass per articulos hi & hu, quorum illud fœminini generis appellativum notat; hoc verò masculini generis proprium nomen efficit.

117. Deniq; hoc loco & illud addi potest, quod non nisi per horrendum sacrilegium ea quæ Petro data & dicta sunt, ratione ministerij ad ipsos Pontifices Romanos referantur. Posito enim, vel maximè tale quid datum esse Petro: nihil tamen hoc ad Pontifices sive Episcopos Romanos? Quæ enim militat consequentiæ ratio? Petrus fuit fundamentum Ecclesiæ, Ergò omnes Episcopi Romani? Petro fuit successum, Ergò necessum est, Romanum Episcopum esse Petri successorem?

118. Nam quod de perpetuâ & ordinaria Episcoporum successione blaterant Jesuitæ, ejus rei futilitas lippis atq; tonsoribus nota est. caret enim 1. fictitia illa successio suo capite, quod volunt esse Petrum Apostolum, de quo tamen incertum est ex Scripturis, an Romam unquam pervenerit, incertius, an ibi 25. annis duraverit, incertissimum verò, quod ibi egerit Episcopum, 2. successio illa multoties fuit interrupta. Quemadmodum enim ex historiis constat, Anno 1045. tres simul fuere Papæ, vel potius Antipapæ, qui omnes uno eodemq; tempore sellam Pontificalem affectârunt, & occupârunt etiam. 3. qui tres Papæ postmodum tetro quodam schismate excitato à Synodo fuerunt damnati, & de sede Pontificali dejecti, in Pontificem electo præsule Bamburgensi Clemente II. 4. Sella Papalis aliquoties ad multos annos vacua fuit, teste Platina & Volaterrano. 5. Sedem Pontificiam aliquando occupavit, infame quoddam scortum, Papissa sive meretricula, quæ Johannis VIII. nomen ementita fuerat. Ex quibus constat, Pontifices de ordinaria & perpetuâ Episcoporum & loci successione gloriari minime posse.

119. Ad

119. *Ad alterum Scripturæ dictum, quo Romanenses Ecclesiam super personam Petri, & hujus in ordine successores fundatam esse evincere conantur, petatum ex Job. 21. c. v. 15. quod attinet, ubi aliquoties Petrus jubetur pascere oves: Dicimus, nullam esse consequentiam. Si enim in Syllogismi formam reducatur hæc probatio, argumentum erit tale:*

Cuicunq; potestas pascendi oves CHRISTI est commissa, ille est caput & fundamentum Ecclesiæ.

Atqui Petro hæc potestas data est.

Ergo Petrus est caput & fundamentum Ecclesiæ.

120 Ubi certè 1. major simplicissimè falsa esseprehenditur. Pastor enim, cui summa pascendarum ovium cura demandatur, non statim est caput & Monarcha, uti Romanenses volunt. Deindè minor vera est de Petro, sed non solo, siquidem Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 16. hæc ipsa cura reliquis Apostolis omnibus itidem est commissa. Si ergo Petrus ratione pastoratus hujus caput fuisset, sequeretur & reliquos Apostolos in pari dignitatis gradu constitutos capita Ecclesiæ fuisse, & per consequens Ecclesia erit monstrum duodecim capitibus constans.

121 *Et nullius planè ponderis ac momenti est, quod Jesuitæ distinguant dicendo, reliquis etiam Apostolis curam hanc fuisse demandatam pascendi oves: sed non super omnes, sive universam DEI Ecclesiam, id quod soli Petro commissum esse clamant.*

122. Falsissimum enim esse, ex modò dictis satis manifestum evadit. Nam omnes gentes docere, omni creaturæ Evangelium prædicare, est nihil aliud, quam habere curam omnium ovium CHRISTI, quæ certè potestas non soli Petro, imò non solis Apostolis: sed etiamnum omnibus Ecclesiæ ministris incumbit Act. 20. v. 28. & ita quidem, ut Petrus ipse ad mandatum Salvatoris Luc. 22. v. 25. ab hac pastura, quam ministris commendat, omne dominium, omnemq; Monarchiam velit esse alienissimam, 1. Petr. 5. v. 2.

123. *Alterum argumentum, quod pro palliando errore suo Bellarminus adducit, sumtum videlicet à prerogativis illis, quarum XXVIII. non sine molestia recenset, an illæ aliquid ad stabiliendum primatum & Pontificatum Petri faciant, de eo hac vice nihil attinet dicere, videbimus fortassis de illarum vi & consecutione in ipsa συζητήσει.*

124. *Quemadmodum neq; tertium ullius est ponderis & momenti ab autoritate patrum, siquidem novimus, veterum illorum patrum nonnullos plus æquo Pontifici Romano fuisse faventes, & horum autoritas, cum non sit nisi humana, sequitur quoq; exinde, primatum Romanum non divini sed humani esse juris & observantia.*

125 *Corrigamus proindè & hunc errorem, neq; Petrum, neq; (& quidem multò minus) Pontificem Romanum fuisse & esse Episcopum Oecumenicum sive universalem omnium Ecclesiarum, vel quod idem est, Caput Ecclesiæ: sed soli CHRISTO hoc jus debere, id quod modò ex Scripturis fuit demonstratum.*

CAPUT TERTIUM.

De optimâ regiminis Ecclesiastici formâ.

D

An

An salus Ecclesiae requirat, ut præter summum illud ac universale caput Ecclesiae CHRISTUM JESUM alius insuper generalis ac visibilis Ecclesiae Episcopus præfici debeat, qui tanquam Monarcha omnibus præsit, & absolutam habeat potestatem & jurisdictionem super omnes, adeò ut a nemine judicari debeat?

126. Cum Ecclesia triplicem respectum obtineat, secundum hunc triplicem respectum distinctè quoq; hinc progrediendum erit. 1. Enim Ecclesia consideratur respectu summi & universalis capitis, quod est solus CHRISTUS Salvator & hoc respectu ultrò concedimus Jesuitis, Ecclesiae regimen simpliciter & absolute esse Monarchicum.

127. 2. Considerari potest Ecclesia, ratione corporis mystici, quod ex universa vocatorum fidelium multitudine in unum corpus coalescit, & uno Spiritu sancto vivificatur. Jam verò, quatenus in electione & vocatione ministrorum hujus totius Ecclesiae, & omnium ordinum suffragia requiruntur, quatenus item privilegia & certa jura &c. toti Ecclesiae à DEO commissa sunt, eatenus regimen Ecclesiae cum Democratia aliquam habet ἀναλογίαν & convenientiam.

128. 3. Consideratur respectu ministrorum, quibus Ecclesiae cura potissimum est demandata, & concredita. Ubi & hoc observandum, Ecclesiam (ut supra dictum) esse duplicem, vel topicam sive particularem, vel Catholicam, sive universalem.

129. De particulari Ecclesia nullum est dubium, quin ejus regimen possit esse Monarchicum, utpote quæ plerumq; unum Pastorem supremum & inspectorem habet: de universali verò est quaestio, Num illa, quo ad Pastores & Episcopos sit Monarchica? Num illa ab uno capite visibili & summo Pastore gubernari debeat? Et num CHRISTUS in caelum ascensurus vel Petrum Apostolum, vel alium aliquem constituerit universalem totius Ecclesiae Episcopum, qui vices ejus in hisce terris gerat, & à cujus nutu & arbitrio singula atq; universa Ecclesiae catholicae membra pendere debeant? An verò potius Ecclesiae cura ejus pastoribus tanquam optimatibus committenda sit?

130. Ubi quidem Papicolarum prius propositae quaestionis membrum affirmant, necessarium esse censentes, ut Ecclesia optimo regiminis modo (quem Monarchicum esse putant) gubernetur, & exemplo summi Sacerdotis in V. T. universae Ecclesiae unus quidam præficiatur aspectabilis Oecumenicus sive generalis Episcopus, qui omnibus per orbem dispersis fidelibus præsit, & summam tum in spiritualibus tum secularibus potestatem habeat, ita ut & ipse à nomine hominum judicari, & ab isto ad neminem provocare & appellare liceat.

131. Nos verò neq; de divino, neq; de humano jure ullum aliud caput quàm solum CHRISTUM agnoscentes (licet interim de facto Papa Romanus hanc sibi potestatem in Ecclesias nefarie sumserit, & hæcenus malo titulo usurpavit) dicimus, neq; Monarchicum Ecclesiae regimen semper esse optimum, neq; ex institutione CHRISTI debere esse Monarchicum: sed potius aristocraticum, freti his rationibus & argumentis.

132. I. Quia nondum satis probatum, neq; extra omne dubium est, quòd Monarchia sit optimus regiminis modus. Bellarminus enim, & qui ipsum sequuntur Romanenses, licet lib. 1. de Pont. R. cap. 2. affirmet, quod in hoc omnes Scriptores veteres politici, Hebraei pariter ut & Graeci & Latini consentiant, Monarchicum regimen

regimen esse optimum; Nos tamen huic effato opponimus aliud, videlicet de forma & modo regiminis Ecclesiastici, non ex opinione Scriptorum politicorum: sed potissimum ex ordinatione & institutione ipsius Salvatoris CHRISTI unice judicandum esse. Parum proinde, aut nihil efficient Jesuitæ, argumentando. Optimum regimen optimo regiminis modo debet gubernari: sed Ecclesia est optimum regimen, & Monarchicus status est optimus regiminis modus. Ergo Ecclesia etiam Monarchicè debet gubernari.

133. Cum enim minor nudâ autoritate humanâ nitatur, nō verò Scripturis, è quibus solis veræ conficiuntur apodixes Theologicæ, patet, quàm ἀπόπας καὶ ἀσκόπως agant Jesuitæ, qui hujus problematis decisionem non ex Scripturis: sed ratiunculis politicis per illicitam μετὰ φασιν εἰς ἄλλο γένος mutuantur. Proinde nos illud Ecclesiæ regimen, optimum esse dicimus, quo CHRISTUS eam regi & voluit & præcepit, & vice versâ, quo noluit regi, illud quoq; optimum non esse, etiamsi à politicis hominibus pro optimo administrationis modo habeatur.

134. Deinde notum quoq; est ex Scholis politicorum, quod ipsimet politici in hac controversia distinguere soleant, inter Monarchiam abstractivam, qualis nimirum ea sit, ratione sui, sive ratione essentia, & inter Monarchiam concretivam, ratione hominum vel existentia consideratam. Quamvis ergo Monarchiâ in sese considerata, quatenus omnia Monarchæ boni requisita præsupponuntur, optima sanè regiminis forma sit: attamen, si etiam attendatur imbecillitas humana, & consideretur, qualis plerumq; hoc tempore Monarchia esse soleat, non qualis esse debeat, non injuriâ quis dubitare posset, an Monarchia, ubi summa rerum & potestas gubernandi apud unum est, semper sit præstantior Aristocratia, ubi plures & quidem optimates clavum tenent imperij.

135. II. Quia Monarchia universalis in Scripturis simpliciter est rejecta, adeo ut disertis verbis CHRISTUS Ecclesiæ suæ tale regimen interdixerit Luc. 22. v. 25. inquit: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Ubi de regno, quod cum Monarchiâ simpliciter convertitur, ex professo agit Servator, idq; ab Ecclesia removet, quemadmodum similia loca habentur, Matth. 20. v. 26. Marc. 10. v. 42. Quibus disertè prohibet, ne ministri Ecclesiæ dominantur, sicut Reges gentium. Quò etiam respexit Apostolus, 2. Tim. 2. v. 4. inquit: Nemo CHRISTO militans implicet sese negociis secularibus. Jam si daretur talis Monarcha in Ecclesia, qui utriusq; gladii, i. e. utriusq; potestatis, civilis pariter & Ecclesiasticæ usum exerceret, utiq; talis implicaretur negociis secularibus.

136. Neq; ullius est teruncii, malitiosa Bellarmini elusio, cavillantis, CHRISTUM istis verbis solum instruere meros principes Ecclesiasticos, ac velle, ut præsent subditis, non more Regum, sed more patrum ac pastorum, adeo non prohiberi omnem dominatum, qualis fuerit multorum piorum Regum: sed saltem dominatum tyrannicum. Reclamat enim hæc glossa ipsis verbis Salvatoris, qui non tam de modo instruit, quàm de re ipsâ. Pugnabant enim Apostoli non quo pacto aut modo gubernare debeant: sed simpliciter scire cupiebant, quisnam ipsorum maximus adeoq; Monarcha esse debeat? Ubi CHRISTUS simpliciter omnem dominatum rejicit, inquit: Maximus vestrum sit instar minimi, sicut ego veni non ministrari: sed ministrare.

137. III. Quia nec V. T. Ecclesia semper purè Monarchicè gubernata est, id quod opponendum strophis Jesuitarum subinde in hoc capite urgentium exemplum summi sacerdotis

sacerdotis in V. T. quem pro universali monarchâ habitum, & simile caput in N. T. eligendum esse inferunt, sicut videre est apud Bellarminum lib. 1. de R. Pont. cap. 9.

138. Verum Ecclesia V. T. non æstimanda est tantum ex uno tempore: sed ex toto. Nam primis mundi seculis Ecclesia V. T. plerumq; fuit tantum domestica, quam DEUS ipse vivâ voce docuit, adeo ut patres familiâs audita saltem propagarent ad posteros. Post diluvium hominibus multiplicatis regimen Democraticum videtur obtinuisse, siquidem in controversis negociis vicini Patres convenere, & quid agendum esset, junctim deliberârunt, uti patet Gen. 11. v. 2. Postea aucto semine Abrahamitico seniores certi electi sunt, qui certis legibus lites dirimerent quorum fit mentio Exod. 3. v. 16. 17. cap. 4. v. 29. Si ergo antiquissima V. T. Ecclesia Aristocraticè gubernata fuit, falsum utiq; erit axioma Pontificium, Monarchiam & omnium primam & optimam regiminis Ecclesiastici formam esse.

139. Cæterum post educationem populi Israelitici, Moses quidem ad tempus dux & princeps populi Israelitici extraordinariè constitutus fuit: sed statim mandatum ipsi est, ut in summum populi sacerdotem eligeret ac confirmaret, fratrem suum Aaronem. Exod. 28. v. 1. Num. 17. v. 5. & 8. cujus successores Sacerdotibus reliquis quidem præfuerunt: ita tamen, ut nunquam primatum ejusmodi, qualem Pontificij urgent, vel habuerint, vel usurparint. Id quod ex eo patet.

140. Siquidem 1. non habuerunt potestatem summam & absolutam judicandi, disponendi, dispensandiq; pro libitu, qualem auctoritatem Papæ attribuunt Romanenses: sed licet supremi quasi & generales Superintendentes Levitarum extiterint, subjecti tamen & ipsi fuere legibus, Deut. 17. v. 9. 10. 11. cap. 27. v. 21. neq; pro arbitrato licuit iis definire controversias: sed hac potestas penes totum erat concilium, cui judex politicus intererat, Deut. 17. v. 9.

141. Neq; 2. habuerunt omnem potestatem secularem & spiritualem simul, qualem arrogant sibi Papæ Romani: sed Pontificiis curam sacrorum tantum agentibus 2. Paral. 19. v. 8. judices & Reges politici curarunt ea, quæ ad Remp. spectabant. Unde ipsi etiam Sacerdotes illis fuere subjecti, quod patet exemplo Salomonis, qui 1. Reg. 2. v. 37. Abiotharum Sacerdotem deposuit, & alium scil. Sadoc. in ejus locum substituit, v. 35.

142. *Neq; est, quod urgeant ἀναλογίαν V. & N. T. quasi nihilominus in N. T. unus aliquis generalis Episcopus constituendus sit, qui curam gerat omnium Ecclesiarum, sicut in V. T. Sacerdoti summo Inspectio universalis fuit concredita.* Nam 1. à statu veteris Ecclesiæ Judaicæ ad statum N. T. non valet consequentia, siquidem Ecclesia Judaica gubernata est per ministerium typicum, quod erat umbra futurorum, Col. 2. v. 17. Ebr. 8. v. 5. Summus enim ille Pontifex, quamcunq; etiam habuit potestatem, typus duntaxat fuit & figura saltem CHRISTI Salvatoris. In N. T. autem, CHRISTO jam in carne exhibito, omnis illa figurarum & typorum ratio expiravit, juxta Ebr. 7. v. 15. 16. 23. 24.

143. 2. Deinde, longè alia & diversa planè Ecclesiæ Israeliticæ fuit ratio, quàm quæ est Christianorū Ecclesiæ sub N. T. Illa enim uno in loco erat, & uni populo alligata, Psal. 147. v. 19. & angustiis Palestinæ sive Judææ finibus includebatur. Ideoq; cura ejus ab uno aliquo facile geri poterat, quippe quæ instar Ecclesiæ particularis erat. Hæc verò N. T. Ecclesia per totum terrarum orbem, perq; omnes gentes, nationes & populos ita est dispersa, ut impossibile sit, unum aliquem oneri isti ferendo parem esse posse.

144. 3. Non

144. 3. Non videndum est, num Ecclesia N. T. ad modum veteris Ecclesiae disponi & gubernari possit: sed potius quomodo CHRISTUS eam gubernari voluerit. Cumq; jam aliam, & à veteri illa planè diversam regiminis Ecclesiastici formam instituerit, acquiescendum est in ejus arbitrio & voluntate, quæ semper fuit optima.

145. 4. Quia CHRISTUS ipse, licet caput & fundamentum sit suæ Ecclesiae, attamen tempore visibilis suæ conversationis in terrâ, more Papali Monarcha nunquam extitit, hocq; ipso innuere voluit, Monarchicum regimen à suâ Ecclesiâ ratione ministerij debere esse alienissimum. Quamvis n. docuerit suam Ecclesiam, eamq; rexit: non tamen factum est id more humano, uti faciunt Pontifices Romani, quos mundano more dominari nemini obscurum esse potest, si aulam, si opes, si provincias, si bella, si ornatum &c. perpendat secum accuratius.

146. Quàm bellè autem in hoc CHRISTO cum Romano Pontifice conveniat, propediè *ὁν Ἰεω* peculiari disputatione audiemus & videatur de hac antithesi D. Hunnius in explicat. 2. Ep. Pauli ad Thessal. c. 2. pag. 215. usq; 224.

147. *Nec quicquam jubat adversarios, dum regerunt, CHRISTUM tempore visibilis suæ conversationis, visibiliter quoq; gubernasse Ecclesiam, tanquam summum ejus pastorem & rectorem. Ergò & nunc externum & visibile regimen Monarchicum esse de salute Ecclesiae.*

148. CHRISTO enim in regimine Ecclesiastico non successit alius Episcopus universalis, neq; etiam succedere potuit, siquidem in cælum ascendens munere suo Pontificali nunquam se abdicavit: sed adhuc manet Ecclesiae suæ caput, Pontifex, Archipastor, Episcopus & fundamentum, 1. Cor. 3. v. 11. 2. Cor. 11. v. 2. Col. 2. v. 19. 1. Petr. 15. v. 4. Illud autem, in quo succeditur, semper in successorem derivatur. Si igitur CHRISTO in regno successisset Pontifex Romanus, tum CHRISTUS non amplius esset Rex suæ Ecclesiae, quod blasphemum. Deindè in Monarchiâ non succeditur nisi Rege mortuo. CHRISTUS autem semper vivit, mors illi non amplius dominatur, Rom. 6. v. 9. adeoq; non abest ab Ecclesiâ: sed illi præsentissimè adest, Matth. 18. v. 20. cap. 28. v. 20. Illi autem, qui præsens est, & præsentem suum administrat regnum, non succeditur, neq; ut succedatur necessum est.

149. *Visibilitatem* quod attinet, illa nihil prorsus ad rem facit. Quemadmodum n. modus rem non variat: ita una eademq; manet Ecclesia, unum quoq; idemq; ejus regimen, licet differentia quædam in eo sit, quod CHRISTUS initiò visibiliter, jam verò invisibiliter suam moderetur & gubernet Ecclesiam.

150. Eadem quoq; fermè est responsio, ad alterum cavillum, dum prætendunt *Unus Episcopus præficiatur uni certæ Diocesi, unus Archiepiscopus uni certæ provinciae ejusdemq; Episcopis. Ergò unus Pontifex omnibus provinciis, adeoq; toti Ecclesiae Catholicae est præficiendus.* Non. n. eadem est totius Orbis, quæ unius aut alterius est provinciae ratio, neq; ista Episcoporum & Archiepiscoporum constitutio dependet ex CHRISTI mandato, sed *Ἐκ ημεσῶν καὶ ἐν ἡμετέροις* introducta est in CHRISTI Ecclesiam antiquitus.

151. 5. Quia CHRISTUS Ecclesiam Catholicam ab uno aliquo Episcopo, adeoq; Monarchicè gubernari simpliciter noluit. Idq; ostendit, partim 1. Papalem dominatum disertè prohibendo Luc. 22. v. 25. 26. partim 2. idem officium eandemq;

etiamque potestatem omnib. ex æquo Apostolis conferendo, Matth. 18, v. 18. Joh. 10. v. 23. 2. Cor. 11. v. 28. partim 3. solus Ecclesiæ suæ pastor Oecumenicus caput & fundamentum manendo Joh. 10. v. 17. Ephes. 1. v. 22. 1. Cor. 3. v. 11. & præter se omne aliud caput & fundamentum, sive principale illud perhibeatur, sive ministeriale, sive visibile sive invisibile, excludendo; partim 4. Omnis generis ministros, nullum verò inter hos Oecumenicum largiendo, Ephes. 4. v. 11. ubi omnes ministerij sacri ordines recensentur, nullius autem vicarij capitis fit mentio; partim 5. Apostolicum munus omnium primum summum & maximum munus ordinando 1. Cor. 12, v. 28. Jam verò, si de jure divino constitutus fuisset Episcopus ejusmodi Oecumenicus, utique non primùm Apostolos DEUS ponere potuisset.

152. Proindè corrigamus & hunc errorem, docentes, Petrum Apostolum, licet ordine priorem inter cæteros, nunquam tamen constitutum fuisse Pontificem maximum, neque primatum jurisdictionis vel obtinuisse vel exercuisse: sed omnes Apostolos tanquam pari dignitatis consortio præditos, unanimiter, atque Aristocraticè Ecclesiam gubernasse. Uade firmissimè colligimus *Quomodo primitiva Ecclesia ab Apostolis fuit gubernata, eodem omnibus temporibus Ecclesia debet administrari modo, sic facente* Bellarmino ipso, lib. 1. de Pont. Rom. cap. 7. quod Apostolica gubernatio fuerit omnium optima.

Atqui Apostoli gubernarunt Ecclesiam primitivam Aristocraticè, quod testatur Synodus Hierosolymitana Act. 15. v. 16. ubi suborto dissidio convenerunt Apostoli cum Presbyteris, ut de negotio illo quid certi definirent.

Ergò *Ecclesia etiamnum Aristocraticè gubernari debet.* Et tantum etiam de tertio capite.

Quæ restant propositæ quæstiones, in hujus articuli expositione ventilandæ, reservantur in sequentem *τὴν Θεῶν* disputationem. Interim precamur æternum DEUM, ut cæterum Ecclesiæ suæ sibi habeat quam commendatissimum, Spiritu veritatis eum regat, & ab omni malo protegat, idque per & propter CHRISTUM Ecclesiæ sponsum, Servatorem nostrum unicum.


A M E N.


F I N I S.











Farbkarte #13

B.I.G.



115

Theologica

tio II.

tificia in Articulo

LESIA.

n, i. e. doctrinam de naturâ
mâ, capite, & regiminis formâ
o Privato.

vatore docente

uvante
mandum

osita
iâ Lipsiensi

nuar. Anno
C. XIX.

eside

T 162 (115)

WEINRICHIO,

Diac. ad D. Nicol. ibid.

ndente

TIO, SS. Theol. Studiofo,

psie,

IGUS LANCKISCH.

